

DE CONTROVERSIIS, QUAE POST PACEM THORUNENSEM
SECUNDAM INTER CASIMIRUM QUARTUM, REGEM POLONIAE,
ET TERRAS PRUSSIAE EXORTAE SUNT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE I. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXI

HORA XI

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS BROCK,

BORUSSUS ORIENTALIS.

ADVERSARII ERUNT:

JOH. KITT, DR. PHIL.

P. STAMM, CAND. PHIL.

A. WAMBERA, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH).

+ 117



w. 3033/60

Praefatio.

§ 1.

Ordo Theutonicorum, qui quinque annis postquam a Conrado, duce Masoviae¹⁾, ut „insisteret opportune ad ingrediendum et obtinendum terram Prussiae“²⁾ evocatus est, armorum initium ceperat³⁾ eam post quinquaginta tres annos in potestatem ac subjectionem suam coegit. Jam ante expugnationem susceptam et papa et imperator omnia ei ejusdem terrae privilegia concesserant⁴⁾.

De
conditione
terrar.
et episco-
pat. Pruss.
sub ordinis
imperio.

Terris, quas ordo ab anno 1230 usque ad annum 1283 Prussis eripuit, initio saeculi quarti decimi terram Pomeraniam et alias quasdam Polonorum potestati subtractas addidit⁵⁾.

Ineunte autem saeculo quinto decimo potestas opesque ejus celeriter collapsae sunt. Quis ignorat cladem illam ordini

¹⁾ Rethwisch, Die Berufung des deutschen Ordens gegen die Preussen, p. 28. n. 1.

²⁾ Watterich, Die Gründung des deutschen Ordensstaates in Preussen, app. nro. 11.

³⁾ Rethwisch p. 43 docet, hoc esse factum anno 1230.

⁴⁾ Rethwisch p. 48: Was sich auf dem Wege der Verleihungen und des Vertrages für die Errichtung der Ordensherrschaft in Preussen erlangen liess, war erlangt. Durch kaiserliche Schenkung und päpstliche Genehmigung war der Orden zum unumschränkten Herrn alles eroberten Preussenlandes erklärt etc. Num vero Conradus dux Masoviae in animo habuerit, omnem ejusdem terrae potestatem ordini concedere, dubium est, cfr. Roepell, Gesch. Polens I, 440.

⁵⁾ Accuratius de his rebus Voigt disserit, Gesch. Preussens IV. 189 sqq. Terram quoque Culmensem multo ante ordinis adventum Polonicam fuisse terram vide apud Rethwisch l. c. p. 4. n. 1.

apud Tannenberg anno 1410 a Polonis allatam? qua etiam magis pestiferae erant conditiones pacis Thorunensis secundae.

Iustam veramque si quaeris illarum cladum causam, respondemus, militares et cives Prussicos, qui paulatim ad magnam potentiam divitiasque pervenerant, sua sponte novis rebus studere incepisse, quippe qui usque ad annum 1412, quominus administrationis terrae ullo modo participes fierent, prohibiti erant,¹⁾ nisi quod de rebus suis provincialibus minoris momenti libere agere poterant²⁾. Considerantes autem illos jam per amplius centum annos coactos fuisse bellorum ab ordine gestorum participes esse, non in optima illos conditione fuisse invenimus.

Non minus angustae ac dubiae res episcopatum erant. Nam episcopi, quamquam in suis ipsorum dioecibus „omne jus et jurisdictionem“³⁾ exercebant, in rebus externis ordinis

¹⁾ Voigt VII. 187 de instituto hoc tempore consilio terrae sic judicat: es war ihm — magistro ordinis — und allen seinen Gebietigern jetzt unter Noth und Gefahr klarer geworden als je: der Orden könne ohne ein inniges Anschliessen an die Stände des Landes nicht lange mehr bestehen.

²⁾ Voigt VII. 406. Scriptor rer. Pruss. IV. 79. n. 1.

³⁾ Ex fundationis instrumento, dato die 4 Julii 1243. Mon. h. Warm. I., p. 5. Haec autem verba nequaquam expriment, episcopos plane sui juris fuisse, cf. Roepell, l. c. I., 440, qui de ea re disseruit, ut demonstraret, Conradum ducem Masoviae minime in animo habuisse, jus territoriale terrae Culmensis ordini concedere. Quin vero in administratione suarum terrarum episcopi plane sui juris fuerint, dubitari non potest. Regalia et temporalia petierunt receperuntque a papa, cf. Plastikum, chronicon de vitis episcop. Warm., qui expressis verbis addit: Monum. h. prout Warm. III. p. 48, haec clare in privilegiis continentur praemissis. Deinde episcopi a subditis suis juramentum receperunt cf. formam juramenti in Warmia adhibita in scriptor. rer. Pr. IV. 78. Nihilominus tamen ordo dominus totius terrae considerabatur.

Kal. enim Octobr. anni 1243, postquam igitur episcopatus jam instituti sunt, papa omnem terram expugnatam ordini denuo concessit. Instrumenti gravissimus locus est hic: — apud Dogiel, cod. diplom. regni Poloniae IV. nro. XXI. — Nos, quod a vobis de ipsa terra dinoscitur acquisitum in jus et proprietatem d. Petri suscipimus et eam sub speciali sedis apostolicae protectione et defensione perpetuis temporibus permanere sancimus; ipsamque vobis et domui vestrae cum omni jure et proventibus suis concedimus in perpetuum libere possidendam. Te dilecte in domino fili Conrade, magister domus ejusdem, annulo nostro de terra investimus eadem. Deinde papa loquitur de terra adhuc expugnanda, quod quum ab editoribus monument. hist. Warm. III. 48. n.

potestati subjecti erant, ita ut bella ab illo gesta eos quoque in periculum adducerent,¹⁾ pax ab illo eorundem nomine ice- retur.²⁾

Quam diu quidem ordo omnes vires ad furorem paganorum reprimendum vel fines in orientem versus dilatandos intendebat, incommoda illa non elucebant. Quum vero initio saeculi quarti decimi cum Polonis saepius bella gerere inciperet, et imprimis quum saeculo quinto decimo opes ejus a Polonis frangerentur, fieri non potuit, quin episcopi quoque se ad regis Polonorum amicitiam et fidem applicare, quam diutius pericula cum ordine communicare mallent. Itaque post pugnam apud Tannenberg factam episcopi primi in regis Polonorum obsequium jurare contenderunt.³⁾

neglectum sit, locum verbotinus afferam. Quae vero in futurum in eadem contigerit adipisci, firma et illibata vobis etc. sub jure et proprietate sed. apostol. eo modo statuimus permanenda. Ceterum in eadem terra dispositioni apost. sedis reservamus, ut per ipsam, cum vos optata ejusdem terrae spatia obtigerit obtinere ac de statu ipsius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de constituendis in ipsa ecclesiis etc. Ead. concessio aliquoties iteratur. cf. Mon. h. W. l. c. Iteratio fit eisdem fere verbis.

Fortasse igitur episcopi ipsi ordini jurabant. In recess. quidem conventus Elbing., die 19 Oct. ann. 1440 habiti legimus, episcopos, commendatores, conventus cum vasallis civibusque declarasse, se ordini suadentes esse debere „als seine geschworenen und gehuldigten Mannen.“ cf. script. rer. Pruss. III. 645 n. Praeclarissime autem ex narratione infra sequenti intelligemus, episcopos ipsos nequaquam sese liberos terrarum suarum dominos considerasse.

¹⁾ Plurimas per saeculum quartum decimum expeditiones ordo in Litthuaniam fecit quarum participes esse coacti erant episcopi jam propter suum ipsorum commodum et propter officium religionemque; quod factum esse saepe narratur cf. scriptores III. 82, n., ib. 126 n. etc. Nec non pugnae apud Tannenberg factae copiae quatuor episcoporum adsunt. cf. Dlugossus, banderia Pruthenorum in script. IV., p. 9 sqq. nro. 8, nro. 14, nro. 23, nro. 46.

²⁾ Quamquam, ut modo doctum est, episcopi in suis ipsorum terris sui juris potestatisque fuisse videntur, tamen in rebus externis, ordini eos subjectos fuisse, ex eo perspicuum est, quod ante tumultum quidem anni 1454, quamquam omnibus ordinis bellis adfuisse videntur, nunquam memoratur, cum illis separatim compositum esse.

³⁾ Ex litteris a Wladislao hoc tempore Thorunensibus civibus missis cf. de his script. III. p. 317 n. 6. Instrumentum subjectionis duorum episcoporum invenitur apud Dogiel nro. 77 et 79. Profitentur, quod

Quod attinet ad conditionem episcoporum inter sese, non invenimus, alium alio majora vel minora jura obtinuisse, hunc illo magis minusve ordini subjectum fuisse.¹⁾

Attamen differentia eaque permagna statuenda est, quae quo clarius explicetur, paulo altius repetemus. Brevi post episcopatus in Prussia institutos pontifex, nimirum ut ordinis potestatem quam maxime amplificaret, legato suo Prussico mandavit, ut in eligendis et consecrandis episcopis rationem haberet eorum, qui essent ordinis Theutonici. Itaque ordinis re vera non solum episcopi, sed etiam canonici in posterum in tribus dioecesibus erant.²⁾ Warmiae quoque primum episcopum Anshelmum ejusdem ordinis fuisse traditum est.³⁾

Nihilominus illius potissimum opera factum est, ut episcopatus Warmiensis liberam episcopi electionem non perdiderit.

Nam Anshelmus, quum idem legati potestatem auctoritatemque a papa accepisset capitulum Warmiense fundavit et confirmavit.

Confirmationis vero instrumenti gravissimus locus est hic: Jus vero eligendi prepositum decanum cantorem scolasticum custodem ac canonicos nobis et nostris successoribus una cum capitulo retinemus. Creandi autem et instituendi archidiaconum in ipsa ecclesia nobis et nostris successoribus facultatem specialiter reservando. Sane episcopum eligendi seu postulandi canonici dicte ecclesie liberam facultatem habeant secundum canonicas sanctiones.⁴⁾

Wladislaum pro vero domino et possessore terrae Prussiae tenere et habere eidemque fideliter adhaerere promiserunt.

¹⁾ Plastwico, qui chronicon suum in altera parte saeculi quinti decimi conscripsit, nondum notum est, episcopum Warmiensem juribus privilegiisque ceteros antecessisse. cf. l. c. p. 47. Treteri autem auctoritatem contemno, qui hoc modo de ea re disserit. — in opusc.: de episcopatu et episcopis ecl. Varm. Cracoviae 1685 in praefatione quae inscripta est: fundatio ep. Varm. — Quanvis autem Cruciferi procedente tempore Culm. Samb. et Pomes. episcopat. saepe varieque ita affligerunt, ut a primaria fundatione recedere illisque subijci necesse haberent jugum tamen hoc ecl. Varm. imponere nunquam potuerunt.

²⁾ Voigt V., 234.

³⁾ Eichhorn, Gesch. der erml. Bischofswahlen, in: Zeitschrift für die Gesch. und Alterthumskunde. Erml. I., p. 97 sq.

⁴⁾ Mon. hist. Warm. I. nro. 48. Instrum. dat. est die 27 Jan. 1264.

Ex eo tempore ordo ordinisve magister nunquam capitulo Warmiensi liberum arbitrium episcopi eligendi infitatus est.¹⁾

Facile intelligimus, episcopatum Warm. hac re profecto ceteros antecessisse, episcopo autem Warm. et in aliis rebus priores partes tributas fuisse, demonstrari non potest.

§ 2.

Quamquam ordo, ut supra memoratum est, vasallis et civibus Prussiae satisfactorius, Elbingi a. d. V. Kal. Nov. constituerat, ut in posterum in concilium ordinis certus illorum quoque numerus adhiberetur,²⁾ nec non alia quaedam illis concesserat privilegia,³⁾ tamen Id. Mart. anni 1440 societatem inter sese inierunt, sub his potissimum conditionibus, ut, si querelas suas ordo non exaudiret, vel jura privilegiaque minuere conaretur, placitum militare et urbium dijudicaret.⁴⁾ Jam 14 annis post haec societas Prussica ab ordine defecit, et ultro illum armis petiit, antequam de auxilio externo sibi parando cogitaret.

Nam Thorunio postr. Non. Febr. anni 1454 capto ac deleto,⁵⁾ brevi tempore pluribus aliis castris civitatibusque potiti sunt. Postquam deinde aliquantulum confederati Prussici fluctuaverunt animis, quae potissimum consilia pro salute terrae capienda essent,⁶⁾ tandem legatos ad regem Poloniae auxilii petendi causa mittere constituerunt, qui ante diem XII. Kal. Mart. Cracoviam advenerunt.⁷⁾

Illi regi res suas esponentes jam nuntiare potuerunt, viginti quatuor castra a suis obtineri. Nihilominus initio rex Polonorum

¹⁾ De ea re dubitare non possumus, opusculo Eichh., quod modo citavi, perlecto. Addimus etiam haec: In Mon. h. W. III. p. 28 sqq. edita est brevis historia ann. 1355—1462 incerti auctoris. Quae hic narrantur considerantes, intelligimus, eam esse conscriptam eo consilio, ut ordinis in dioecesi Warm. delicta et peccata in uno loco componerentur. cf. l. c. p. 20. Qua in historia, quum ordo non arguatur, quod nunquam se episcopis eligendis admiscuerit, cognoscimus, hoc nunquam esse factum.

²⁾ Voigt VII., 187 sqq.

³⁾ ib. 406.

⁴⁾ ib. 703.

⁵⁾ Voigt VIII., 359.

⁶⁾ ib. 374.

⁷⁾ Dlugossus, *hist. Pol.* II., 130.

De bello
13 annor.
1454—1466
d. 28 Oct.
1442.

d. 15 Mart.
1440.

d. 6 Febr.
1454.

d. 18 Febr.

haesitasse fertur, ita ut amplius per quindecim dies de ea re disceptatum sit.¹⁾

Legati igitur ob eam causam potestatem naeti satis superque querelarum proferendarum, regi et Polonis demonstrabant, magistrum et ordinem ipsum terram Pomeraniae per scelus et iniquitatem a regno Poloniae abstraxisse; deinde rupto foedere sola libidine occupandi terras regni Poloniae permotos, arma intulisse; nec regem tantum Poloniae consiliariosque, sed nec vicinas nationes ignorare, quam indigna patres ipsique perpessi essent. At rex minus querelis documentisque legatorum ad bellum commotus esse videtur, quam eo, quod minabantur, se a rege Bohemiae auxilium, quod ille negaret, petituos esse.²⁾

Itaque rex Casimirus legatis Prussiae documentum conscripsit, quo confoederatos in praesidium suum suscepit. prid. Non. Mart. feria quarta cinerum anni 1454.³⁾

d. VI. Mart.
1454.

Multis in eo causis numeratis, quibus adductus rex nobiles et cives Prussicos susciperet velut legitimus, justus et verus dominus eorumque terras regno Poloniae, a cujus corpore contra jus fasque sequestratae essent, incorporare, inviscerareque dignaretur, promisit, se militares civesque favore ac benevolentia prosecuturum, neque illos a regno abripi passurum esse; se nobiles et cives singulosque incolas in juribus libertatibusque observaturum esse, seque omnes incolas Prussiae in jus, proprietatem, conditionem regni Poloniae translaturum esse. Tum statutum est, ut, quum terrae ipsae variis legibus sive juribus, videlicet Magdeburgensi, Culmensi, Polonicali et Pruthenico uterentur,⁴⁾ illae leges etiam in posterum observarentur, ea licentia attributa, ut liceret unicuique de uno jure in aliud sine tamen praejudicio aliorum, quo voluerit, transmigrare. Praeterea rex promisit, se dignitates et officia hactenus in

¹⁾ ib. 131. Schütz, historia rerum Prussicarum, d. i. wahrhafte und eigentl. Beschreibung der Lande Preuss. fol. 215.

²⁾ Servatae sunt duae orationes apud Polon. per Stibor. de Baysen habitae, quarum altera exstat ap. Dlug. 128 et Dog. l. c. 141, altera apud Schütz p. 215. Num vero Casimirus praestigias tantum fecit? Epistola diffidatoria, quamquam pugnatus est dies, re vera magistro jam die 22 Febr. conscripta est. cf. scriptor. III., 660 n. 3.

³⁾ Dogiel l. c. nro. 107. diploma datum est Cracoviae feria quarta cin. anno 1454.

⁴⁾ Voigt de ea re disserit VI., 586 sqq.

Prussia consistentia et in posterum constituenda, item castra et tenuitates civitatum nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenae collaturum esse.

Illius potissimum conditionis ordines Prussiei momentum habuisse videntur, quare regem commoverunt, ut denuo illud privilegium sibi confirmaret, quod factum est a. d. VIII. Kal. Jul.¹⁾ Jam antea Prussi se subjectioni in regnum Poloniae consentire declaraverant,²⁾ et Casimirus, ut sibi jurarent, in Prussiam profectus erat,³⁾ ubi omnes paene vasalli urbesque jurisjurandi verba ei dixisse videntur. Est notandum, dicit ejusdem aetatis scriptor,⁴⁾ quod vasalli et communitates homagio resignato omnia ordinis castra, oppida et dominia, duobus castris, videlicet Marienburg et oppido adjacenti et Sthum dumtaxat exceptis, sine aliqua resistantia infra mensem obtinuerunt. Nec non tres episcopi Casimiro juraverunt: Arnoldus Culmensis, Casparus Pomesaniensis, Nicolaus Sambiensis, quum Franciscus Warmiense partes ordinis, ex quibus semper steterat,⁵⁾ et tum servans in castro Marienburg a Polonis obsessus teneretur.⁶⁾ Sed canonici ceterique Warmiae incolae et ipsi in diversas partes discesserant. Non ad rem est explicare, quomodo bellum usque ad annum 1466 gestum sit; de rebus autem Warmiensibus, quippe quae, quum brevi post Franciscus diem obiret, permutatae sint, quaedam etiam sunt afferenda.

d. 14 Jan.
1454.

Canonici id temporis in „omnes orbis terrarum regiones dissipati erant“.⁷⁾ Tres eorum partes confoederatorum secutos esse, ex eo probare possumus, quod Gedani versati, post Francisci mortem regis vicecancelarium episcopum eligebant;⁸⁾ quum sex in Silesia morantes ex ordinis partibus stetisse

De
Warmiae
conditione
tempore
belli.

¹⁾ Dogiel nro. 114. privilegium dat. est in Thorun. feria sec. b. Joan. Bapt. 1454.

²⁾ Instrumentum subjectionis dat. est in Thorun. feria secunda proxima post domin. ramis Palm. — die 15 Apr.

³⁾ Voigt VIII. 390 sqq., accuratius exponit, quomodo res porro gestae sunt.

⁴⁾ Plastwicus, l. c. p. 92.

⁵⁾ Schütz, fol. 216, script. IV. 87. Mon. h. W. III. 35.

⁶⁾ Dlug. 148.

⁷⁾ Eichhorn, l. c. p. 128.

⁸⁾ Plastwicus p. 97.

verisimile est.¹⁾ Septem Regiomonti agentes cujus partem secuti sint, certe affirmari non potest.²⁾

Quibus rebus factum est, ut dioecesis non minus quam aliae Prussiae terrae malis belli traderetur, neque multum profuit, quod Paulus de Legendorf anno 1460 in Warmiam adveniebat, ut episcopatu, quem a papa acceperat, potiretur.³⁾ Quamquam enim neutrius bellum gerentis partem sequi in animum induxerat, id quod papa jusserat et utraque pars probaverat,⁴⁾ tamen, ut castra statim traderentur, adipisci non potuit; nec in posterum quievit. Nam primo a. d. VIII Kal. Aug. 1463 in partes ordinis transgressus⁵⁾ postr. Jd. Mart. 1464 jam cum Casimiri regis legatis in has fere condiciones composuit:

d. 25 Jul.
1463.
d. 16 Martii
1464.

Primo constitutum est, ne episcopus quemquam in terram suam intromitteret, qui regi noceret. Urbs Wartenberg et ecclesia Frauenburg in manibus regis maneret usque ad belli exitum. Si rex urbe aliqua episcopi potiretur, ea post bellum finitum episcopo traderetur, qui idem occupatas forte hoc bello urbes regis se illi traditurum esse promisit. Sin autem rex cum magistro ordinis pacem componeret, episcopum ut alios suos fideles homines — getreue mannschaft — in eandem comprehenderet. Novem diebus post Paulus episcopus similem in modum etiam cum Prussiae ordinibus composuit.⁶⁾

d. 25 Mart.
1464.

Quo facto rex quoque, quae per legatos erant composita, auctoritate sua confirmans promisit, se episcopum Warmiens. ejusque capitulum simul cum omnibus incolis in omnibus libertatibus, juribus, consuetudinibus, quibus usque ad hoc tempus usi essent, conservaturum et protecturum esse; alio loco: se nullum esse icturum foedus, quin episcopum, capitulum etc. in jura ac privilegia, quae antiquitus habuissent, restituisset.

¹⁾ Plastwicus p. 96.

²⁾ ib. p. 97 cf. n. 99: Eligebant Arnoldum de Vendrade, cantorem ecclesiae Gnesnensis, electio eorum adjuta est et a magistro ordinis et ab episcopis Sambiens. et Pomesaniensi, qui regi juraverant.

³⁾ ib. 120.

⁴⁾ ib. 130.

⁵⁾ l. c.

⁶⁾ Haec pacta usque ad hoc tempus inedita, mihi per d. prof. Roepell benignissime subministrata sunt. Exstant in Neumanni cod. dipl. Elb. qui prius pactum ex Ramsay, manuscr. Elb., alterum ex orig. arch. Elb. exscripsit.

a. d. III Non. Maj.¹⁾ Per sequens belli tempus Paulus ex partibus Polonorum stetit. Ceterum quum, quod de reliquis terris Prussiae proferre necesse sit, nihil jam habeamus, quumque omnibus notum sit, a. d. XIV Kal. Nov. ann. 1466 pace Thorunensi bello tredecim annorum quod vocatur finem esse factum, ad pacis illius conditiones exponendas transeamus.

die 5 Maji.

d. 19 Oct.
1466.

Imperio ordinis Theutonicorum sublata sunt territoria haec: terra Culmensis et Michaloviensis et Pomerania; castrum et civitas Marienburg cum duabus insulis et lacu Drausen et districtu Scharpau; castra et oppida Stuhm, Elbing, Christburg cum nonnullis aliis.

De conditionib. pac.
Thor. sec.
1466.

Reliqua Prussiae territoria in potestate ordinis permanserunt, ita tamen ut magister ejusque successores sint obstricti, intra sex menses post factam electionem personaliter se regi praesentare, ad praestandam ei debitam fidelitatem. Ceterum magister ordoque et terrarum incolae essent unum et individuum corpus cum regno Poloniae, et tenerentur reges Poloniae sive in adversis sive in prosperis nunquam deserere; neve magister bella quaedam contra catholicos sine regis Poloniae consensu moveret. Praeterea ordinis magister fit consiliarius et princeps regni Poloniae. Tum constitutum est, ut ad ordinem Theutonicum idoneae personae etiam ex subditis regni Poloniae assumerentur, neve magister secundum regulam ordinis electus, rege Poloniae nescio, amoveretur.

De episcopatibus vero haec sunt statuta, ut ecclesia Culmensis in posterum subjecta esset ecclesiae Gnesnensi, et de regulari in saecularem transferretur; praeterea Vincentius Kielbassa, secretarius regius, ad eandem intercessionem regis promoveretur a papa, qui idem ecclesiam Pomesaniensem per ordinationem apostolicam haberet. Post mortem autem Vincentii ad ecclesiam praedictam iterum substitueretur persona praedicti ordinis regularis. De episcopatu Warmiensi ordinatum est, ut „ecclesia et ejus pontifex pro tempore cum suo venerabili capitulo, cum omnibus suis castris in regis et regni Pol. ditione, subjectione et protectione consisterent, et domino

¹⁾ Secundum transumpt. in A(rchivo) C(apituli) (Frauenburg): T. I. p. 42 dat.: in conventionem novae civitatis Korczin, sabbato ipso die s. Gotthardi 1464.

1466

Ludovicus magister, ditioni, subjectioni et protectioni expresse renuntiaret; et omne jus, quod ipsi in praedicta ecclesia, episcopatu et capitulo Warmiensi competeret, in Casimirum transfunderent¹⁾

Ordo igitur Theutonicus omnes terras per centum quinquaginta fere annos expugnatas, nec non alia et permagna territoria hac pace perdiderat. Quas si Casimirus ob eam causam in suam potestatem redegerat, quod olim regni Polonici fuerant, alio modo possessionem episcopatus Warmiensis adeptus erat, qui nunquam terra Polonica fuerat et praeterea in media paene terra ordini relicta situs erat. Ille igitur idem ex eo non minus pars regni Poloniae erat, quam usque ad hoc tempus terrarum ordinis fuerat, non magis minusve Polonis subjectus, quam episcopatus Culmensis.²⁾

Paulus episcopus, quum anno 1464 componeret, postulaverat, ut rex se, si cum ordine pacem faceret, in eam comprehenderet, ut alios suos fideles homines, id quod pace Thorunensi

¹⁾ Dogiel l. c. nro. 122.

²⁾ Hanc rem expressis verbis praedico. Jam ex conditionibus pacis Thorunensis apparet, episcopatus nequaquam in omnibus rebus iisdem iuribus usos esse, quae exercebat ordo. De dioecesi Culmensi non aliter agitur atque de ceteris Prussiae terris. Nec non in controversia, modo de eligendo episcopo Warmiensi exorta, de magno tantum privilegio electionis liberae separatim agitur, in ceteris rebus Warmienses causam suam cum Prussis communicant.

At unam haesitationem rem silentio non praetermittam. Qui fit, ut episcopus, si subditus regis Poloniae erat, a Casimiro in tractatu Thorunensi in eodem ordine ponatur atque Casimirus ipse aliique duces principesque? Legitur enim apud Dog. p. 164: inter nos Casimirum, regem Poloniae Prussiaeque dominum ac haeredem et illustres principes Conradum Casimirum Boleslaum et Janussium Masoviae, Henricum Stolpensem duces ac reverendum patrem dominum episcopum Paulum ac capitulum ejusdem Warmiense, Stephanum, Wojewodam Moldaviae etc. Regem se jam dominum ac haeredem Prussiae nominare, quum episcopus ipse res suas agere videatur, ejus rei causa alia inveniri non potest, nisi quod ex anno 1464 episcopatus specie aliqua plenae libertatis fructus est, nimirum quum episcopus sua sponte ordinis partibus relictis ad societatem amicitiamque Polonorum transcessisset, brevique post cum ordinibus quoque Prussicis composuisset. Fortasse etiam Paulus episcopus apud Polonos persona honesta ac gravis erat, ita ut honore affectus sit, in ordine principum ducumque poni. Quocumque vero modo res se habet, id negari non potest, ex hoc loco demonstrari non posse, episcopatum jam antea in omnibus rebus liberam fuisse terram.

re vera factum est. Etiam capitulum Warmiense conditiones comprobans brevi post regem Poloniae „Prussiae dominum et dominum suum gratiosissimum“ agnovit.¹⁾

Sed jam ad controversias inter Casimirum ordinesque Prusicos et imprimis episcopum Warmiensem exortas transeamus.

Capitulum primum.

1467— Febr. 1474.

§ 3.

1467 usque ad aetatem fere anni 1472.

Omnes terrae ordini ereptae sua sponte ad Polonos transferantur. Pretium traditionis fuerat confirmatio omnium privilegiorum jurumque, quae etiam aucta erant.²⁾

De primo studio amicitiae et reconciliationis. 1467.

Quoad igitur rex Polonorum subditis quae promiserat, servabat, tutum ab eorum tumultibus se futurum esse, sperare potuit. Et profecto ubique tempore pacem confectam sequenti animos conspiciens paratos ad sinceram veramque reconciliationem.

Quamquam haud verisimile est, quod scriptor affirmat Polonicus³⁾ „magistrum ordinis Theutonicorum miro affectionis amore in Casimirum propter praestitam a rege Thorunii liberalitatem et benevolentiam“ arsisse, tamen constat, ordinem etiam multo post, ne amicitiam regis aperte violaret, summo periculo cavisse. Ceterum magister Ludovicus mox diem obiit, ordo autem magistrum non elegit.⁴⁾

¹⁾ Dogiel l. c. nro. 127. — die 27 Jan. 1467. —

²⁾ Prussis a rege concessum erat, ut de uno jure in aliud, quo voluerint, transmigrare possent — Dog. p. 148. — Item rex promisit, se nunquam res et bona eorum, qui naufragio periclitati essent, petitorium aut requisitorium esse ib.

³⁾ Dlugossus p. 402.

⁴⁾ Schütz fol. 335 dicit ob eam causam ordinem magistrum non elegerit, ne ille cogere Casimiro jurare, sperantem se ex Germania auxilium nactum omnia facile recuperaturum esse, praesertim quum Casimirus eo tempore jam rebus Ungaricis implicatus fuerit. Sed res, aliis documentis non confirmata, in dubio relinquenda est.

1467.

Etiam militares et cives Prussiam ab ordine regno Poloniae concessam habitantes, quamquam brevi post bellum finitum multa cum Polonis tractabant¹⁾, nihil habebant, de quo graviter conquerentur. Schützius igitur recte dicit: so pfl eget es ins gemeine zu gehen, dass selten der Friede so rein getroffen kann werden, dass nicht etwas unlustes vom Kriege noch daran behangen bleibet.²⁾

Utrum Prussis liceret, Polonis nesciis conventus habere necne, quamquam jam in medium prolatum est, tamen non-dum vehementer disputatum est.³⁾

Neque papa, cujus praecipue opera pax ieta erat,⁴⁾ initio inimico in regem animo erat. Illum enim eo tempore rebus Prussicis magis res Bohemicae commoverunt.⁵⁾ Itaque Casimirum, ut Georgio, regi Bohemiae, bellum inferret, monuit.⁶⁾

Sed Casimirus cavebat, ne animos aut regis Bohemiae aut papae offenderet, et „dilationibus aut ambiguis responsis ad partem utramque usus, rerum Bohemicarum exitum in quem finem casurae essent, opperiebatur.“⁷⁾

Interea legati, quos brevi post pacem confectam Casimirus in urbem miserat, confirmationem pacis peti-turos,⁸⁾ in Poloniam redierunt. Quamquam illam adepti non erant, ex aliis rebus cognoscimus, papam Casimiri amicitiam sibi servare voluisse. Nam et ecclesiam Culmensem de regulari in capite et in membris in saecularem transtulerat, ecclesiaeque Gnesnensi ad-junxerat et Vincentium Kielbassam, a rege nominatum, in ecclesiam Culm. promoverat. Cui etiam tunc administratio ecclesiae Pomesaniensis ad vitam fuit commissa.⁹⁾ — a. d. VI. Id. Apr.

d. 8 Apr.

¹⁾ Scil. de pecunia mercenariis danda, de nummis bonis justisque cudendis. Schütz fol. 332 sqq.

²⁾ ib. 333.

³⁾ ib. 332.

⁴⁾ Hoc praecipue praedicatur in instrumento, quo capitulum War-miense se regi subjicit. Dog. 177.

⁵⁾ Kurz, Oesterreich unter Kaiser Friedrich IV. I. 88—92. Mailáth, Gesch. der Magyaren, II. 227. Palacky, Gesch. Böhmens, IV. 2, p. 396 sqq.

⁶⁾ Dlug. 408.

⁷⁾ ib. 406.

⁸⁾ ib. 394.

⁹⁾ ib. 407.

Rex igitur adeptus erat, ut duo episcopatus Prussici a secretario suo conjuncti possiderentur. De moribus ingenioque Vincentii nihil laudabile dici potest, quamquam saepe legatus¹⁾ vel comes²⁾ regis memoratur. Dlugossus haec de illo affert: „vir nobilis de domo et familia Natacz, plurima ecclesiae Culmensis et Warmiense nobilia elemodia vivendo liberali et magnifico sumptu distraxit.“³⁾ Ordines Prussici hoc regis papaeque consilio contenti fuisse videntur, ob eam fortasse causam, quod Vincentius indigena Prussicus erat: audimus, linguae Germanicae illum fuisse potentissimum.⁴⁾

Sed redeat, unde aberravit narratio. Legati in Poloniam redeuntes praeterea nuntium attulerunt, papam promississe, se legatum in Poloniam missurum esse. Feria igitur tertia post festum s. Jacobi apost. die Martis a. d. V. Kal. Aug. Rudolphus episcopus Lavantinus Cracoviam advenit.⁵⁾ Sed de rebus Prussicis nihil est constitutum, cujus rei Dlugossus causam affert: produxit et tunc Rudolphus episcopus duas apostolicas bullas, in quarum una pacis Pruthenicae confirmatio, in altera censurarum et interdicti contra militares et cives Prussiae per Romanos pontifices, quod ab obedientia magistri et ordinis desciverant latarum, conditionaliter, si videlicet Casimirus Poloniae rex per se vel per filium regnum Bohemiae susciperet aut suscipientem effectualiter adjuvaret, mandabatur sublatio.⁶⁾

d. 28 Julii.

Quae igitur res papae consilia moverint atque adduxerint, hoc uno facto, quod haud facile in dubitationem vocare poteris, satis superque significatum est. Quare etiam controversiam brevi de eligendo episcopo Warmiensi exortam, quae quasi nodus concertationum Prussicarum est, conditionum regnorum vicinorum rationem habentes explicabimus. Jam ad illam exponendam transimus.

¹⁾ Dlug. 416, 446, 450.

²⁾ ib. 431, 468 sqq.

³⁾ ib. 575. Si in libro mortuorum monasterii Pelplinensis — Mon. h. W. III., 297 — invenimus, illum esse mortuum d. 8 Nov., quum Dlug. narret, d. 12. Nov., Dlugossi opinionem comprobamus, quoniam notum est, non accurate istos libros diem dicere. Ceterum hic laudatur: fautor noster singularis.

⁴⁾ Voigt VIII., 685.

⁵⁾ Dlug. 407.

⁶⁾ ib. 408.

1467.
d. 23 Julii.
d. 10 Aug.
De morte
Pauli epis-
copi Warm.
et nova
electione.

Episcopo Paulo de Legendorf a. d. X. Kal. Aug. mortuo, capitulum Warm. a. d. IV. Id. Aug. uno consensu¹⁾ Nicolaum Tungenium, decanum ejusdem ecclesiae, qui eo tempore Romae versabatur,²⁾ elegerunt.

Eodem fere tempore Casimirus rex conventum generalem Cracoviae habuit. — a. d. VI. Id. Aug. usque ad ultimum Aug. —, in quo quum de aliis, tum de rebus Bohemicis disputatum est. Casimirus, quum bellum Bohemicum extemplo incipere nollet, rem disceptatione in tempus posterius protulit. Ut nihilo tamen minus confirmationem pacis perpetuae nancisceretur, secundo legatos Romam misit. Quum interea de morte Pauli episcopi et fortasse de electione quoque Tungenii certior factus esset, Johanni Sapienski, legato suo Romam proficiscenti mandavit, ut a papa confirmationem Vincentii Kielbassae in episcopatum Warmiensem peteret.³⁾ Quod si factum esset, Vincentius tertium quoque episcopatum Prussiae possederet. Interea autem capitulum quoque Warmiense ex papa litteris, ut Nicolaum episcopum provideret, quaesivit.⁴⁾

In Prussiam vero rex, quo ipse, gravibus illo tempore negotiis impeditus, proficisci non posset, tres legatos misit: Jacobum Wratislaviensem, Vincentium Culmensem episcopos et Joannem Koszelieczki, palatinum Juniwladislawiensem: „et singulas res quaestionesque curaturos et ad ferendum subsidium pecuniarium pertracturos.“⁵⁾ Gedanenses, Elbingenses, Thorunenses cives, ut XII millia florenorum penderent, magna tantum opera adhibita, legati adduxerunt.⁶⁾ Res quoque War-

¹⁾ Perperam chronicon Gedanense: vom Pfaffenkriege — scriptor IV. 680 — so dass die thumherrn von der Frauenburg gar nohe woren vorstreuet und ouch wenigk waren; cui contradicit bulla confirmationis in A. C.: T. I. p. 11—12, et litterae canonic. Warm. d. d. 28 Julii 1473 ad papam missae, in quibus legimus electionem factam esse: „nullo discrepante.“ ib. K. nro. 3.

²⁾ Ex brevissimo demum tempore. Nam ex instrumentis apud Dog. p. 177 apparet, mense Jan. an. 1467 illum adhuc in castro Allenstein egisse. Scriptor papae, ut Treter fortasse ex chron. Ged. jam citato mutuatus est, praesertim quum decanus esset, fuisse non potest. p. 51.

³⁾ Dlug. 407.

⁴⁾ Ex litterarum forma in A. C.: T. nro. 1, p. 11—12. Dies non est additus.

⁵⁾ Dlug. 409.

⁶⁾ ib. p. 416.

mienses a lagatis disputatas esse ex eo perspicuum est, quod 1467.
postr. Kal. Dec. an. 1467 capitulum Warmiense in has fere a 2 Dec.
conditiones cum illis composuit:

Ut episcopus Culmensis conservator dioecesis Warm. reciperetur, cujus tamen jura et vectigalia ne deminuerentur. Deinde ut indigenae tantum Prussiei munera Prussiae adipiscerentur et adjudicatio episcopatus papae permitteretur.¹⁾ Simul, ut regis voluntati officiosi facilesque essent canonici Warmienses, et ad papam et ad collegium cardinalium litteras miserunt, quibus petierunt, ut Vincentius, ep. Culm., in episcopatum Warmiensem provideretur, electione episcopi Nicolai contempta, cui ipsi scripserunt, ne sine regio consensu juri, quod in Warmiam haberet, diutius insisteret, sed Vincentio, qui ecclesiae Warmiensi Prussiaeque utilior esset, cederet.²⁾

Quod vero papa anno demum post de episcopatu adjudicavit,³⁾ occasio nobis data est, interea cognoscere, in qua conditione regna vicina eo tempore versabantur. Papam summopere sed frustra contendisse, Casimirum regem ad bellum Bohemicum incitare, jam supra demonstratum est. Nec non jam anno 1466 a Matthia Corvino, rege Ungarico, petierat, ut simul cum imperatore Germanorum et rege Polonico Georgium, regem haereticum Bohemiae, aggrederetur.⁴⁾ Matthias, qui jam dudum curiae Romanae praeclarissimus christianorum salutis propugnator apparuit,⁵⁾ ad bellum Casimiro paratior erat, nec tamen prius quam initio an. 1468 bellum incepit.⁶⁾ Nec tamen per longum tempus secunda fortuna usus est.⁷⁾

Regis quoque Poloniae gratiam sibi conciliaturus Matthias 1463.
mense Aprili 1468 Protasium, episcopum Olomucensem, ad

De conditione regnor. vicin.

¹⁾ Foederis autogr. in A. C.: K. nro. 3.

²⁾ Exempla litter. ad pap. et card. miss. ib. dies non est add.; litter. ad Nicol. missas citat Barthol. Liebenwald in appell. sua ad sed ap. ib.

³⁾ Papam per annum cunctasse, quod nesciebat, uter praeferendus sit, ecclesiaeque utilior, ut Eichhorn vult l. c. p. 152 quis credit? Neque Eichh. ipse affirmationis causam affert.

⁴⁾ Engel, Gesch. des ungar. Reiches III. 1. 265.

⁵⁾ Palacky, Gesch. Böhmens IV. 2. 554.

⁶⁾ ib. 508; Engel, 286. Matth. bellum indixit d. 8 Apr.

⁷⁾ Palacky 547.

1468. eum misit,¹⁾ qui peteret, ut idem regi Bohemiae bellum inferret; ceterum in secessione secreta Protasius Casimiro aperuit, regem suum hoc agere, ut unam ex filiabus Casimiri in matrimonium duceret. Cui autem neque hoc neque illud placuit. Contra legati Georgii, regis Bohemiae primo die post discessum Protasii advenientes benignius admissi et auditi sunt, et quamquam legati, quos Casimirus brevi post in Bohemiam miserat, re infecta redierunt,²⁾ tamen Paulus pontifex sibi persuadere potuerat, a Casimiro certum contra Bohemos auxilium accipi non posse. Idem igitur id temporis a rege, ut Vincentium, ep. Culmens. et administratorem eccl. Pomes., tertio quoque episcopatum Pruss. praeficeret, rogatus est.

De confirmatione papae.

Jam autumno anni praeteriti conatus erat, Rudolphum, ep. Levantinum, qui tum legatus in Prussia erat, in sede episcopali Warmiensi ponere, id quod Casimiro displicuisse videtur.³⁾ Quam ob rem ei utilius visum erat, in praesenti rem incertam relinquere. Pridie demum Non. Nov. Nicolaum episcopum Warmiensem confirmavit, et, ut confirmatum servaret, plures in Prussiam Poloniamque bullas misit.⁴⁾

d. 4 Nov.

1469.

Anno sequenti, quum fortasse jam comperisset, confirmationem Nicolai Polonis vehementer displicuisse, Paulus novis bullis animos placandos esse censuit. Quidquid Vincentius in dioecesi fecerat, pro nihilo ducitur; praeterea feudales et cives Warmienses admonentur, ne quemquam alium nisi Nicolaum episcopum suum agnoscerent, neve alii oboedirent.⁵⁾

d. 1 Maji.

d. 20 Maji.

Roma igitur locuta, sed causa non erat finita. Contra res in orientis regnis, quum singuli jam magis aperte in partes discedere inciperent, magis arduae fiebant. Kal. Maj. quum Matthias ligae catholicae nuntiaret, se Olomucii regem Bohemiae esse creatum,⁶⁾ a. d. XIII. Kal. Jun. papa novam bullam

¹⁾ Dlug. 424. Palacky 539.

²⁾ Dlug. 430.

³⁾ ib. 411 legitur: consulebatur Casimiro, ut Rudolphum, id postulantem promoveret.

⁴⁾ De octo ob eam rem conscriptis bullis jam Eichh. l. c. p. 153 n. 2, quod opus est, attulit. De litteris dat.: Kal. Dec. ej. ann., ad Casimirum missis Voigt loquitur p. 20. Eichh. p. 154.

⁵⁾ Bulla papae d. d. 20 Maji 1469 exstat apud Theiner, mon. Pol. II p. 160 alterius, cui dies adscriptus non est, ej. anni exempl. in A. C.: K. nro. 3.

⁶⁾ Palacky IV. 2. 584.

in Prussiam misit. Initio mensis Junii, quum filius regis Casimiri rex Bohemicus designatus esset,¹⁾ a. d. XVI. Kal. Jul. d. 16 Jun. 1469. rex Poloniae Fabiano de Legendorf, castellano Elbingensi, qui tum castris Heilsberg et Seeburg praeerat, praecepit, ne permetteret, ut Nicol. Tungenius, aut qui ex partibus ejus starent, dioecesi potirentur; simul curaret, ut ab omnibus literis, quae in rem episcopi mitterentur, appellatio ad sedem apostol. fieret.²⁾

Res, quas diximus, inter sese conjunctas esse, quis non cognoscit?

Rex igitur Poloniae minime in animo habebat, eum, quem nominaverat virum omittere et in conventu Pietricoviensi ultimo anno habito ab ordinis magistro petiit, ne aut ipse in posterum litteras acciperet, quae pro Nicolao et contra Vincentium scriptae essent, aut permetteret, ut in finibus suis acciperentur; velle enim sese, omnes episcopos ut in Polonia ita in Prussia cum suo consensu institui, num pontifici placitum esse, si quis Romae episcopum illo invito constituere vellet?³⁾ Cui igitur vera regis intentio dubia esse potest? Num autem secundum promissa egit?

Sed nondum res inter regem Poloniae et papam ad apertas inimicitias pervenerant. Initio anni 1470 Alexander, electus et confirmatus Forliensis, a papa in Poloniam missus, Casimirum denuo eo adducere studuit, ut, foedere cum rege Ungariae facto, bellum contra Bohemos haereticos gereret.⁴⁾ Ceterum Matthiae eo tempore tentanti imperatorem quoque Germanorum adversus regem Bohemicum incitare,⁵⁾ res contrarie evenit, quum imperator Polonorum gratiam sibi acquirere studeret, qui jam cum Ungaris dissentire inceperunt.⁶⁾ 1470.

Quare res in novas perturbationes jactae sunt. Sed Warmiae status omnium erat tristissimus. Nam episcopus Culmensis, quum magna capituli pars, voce pontificis perterrita,

¹⁾ Palacky IV. 593.

²⁾ Exemplum litterarum dat. Cracoviae feria 6. s. Viti — d. 16 Jun. — in A. C.: ib.

³⁾ Voigt p. 26, 27.

⁴⁾ Dlug. 454. Palacky 623.

⁵⁾ Dlug. 455.

⁶⁾ l. c.

1470. a partibus ejus defecisset, omni opera intendit, ut in partem sibi retraheret.¹⁾ Licet Vincentio jam antea quaedam injuste fecerit, sed tum demum, quum pars capituli ab eo desciverat, causam habuit, rerum cum vi agendarum. Consecutus esse videtur, ut quinque in vetere fide et amicitia remanent, qui ad sedem apostolicam rectius informandam appellaverunt.²⁾ Ceteri jussu papae secuti, Warmia, cujus imperium Vincen- tius quamquam excommunicatus³⁾ obtinebat, discedere coacti erant.⁴⁾

De Nicolao
Tungen. in
Warmiam
profi-
ciscente.

Dum haec in Warmia aguntur, Tungenius episcopus Romae versabatur; morbo eum retentum esse, quum instrumentis non probetur, dubito an a scriptoribus posterioris aetatis inventum sit.⁵⁾ Verisimilius est, perturbatum regnorum vicinorum et Warmiae ipsius statum in causa fuisse, cur Roma non proficisceretur. Media tamen aestate anni 1470 iter in dioecesim suam suscepit; certe scimus a. d. XV Kal. Spt. fines Italiae ab eo jam relictos esse.⁶⁾ Episcopi spem dioecesis obtinendae non splendidam fuisse apparet, quum non solum rege Poloniae inimico uteretur, sed etiam dioecesim ipsam ab adversariis occupatam conspiceret. Quibus quamquam castra ea conditione tradita erant, ut illi redderent, qui a papa confirmatus esset,⁷⁾ tamen tunc nec Casimirus nec Vincentius in animo habebant, illam conditionem servare. Accedit quod Matthias rex, qui semper paratus fuerat, papae voluntati obsequi, postr. Kal. d. 2 Nov. Nov. clade affectus ipse in periculo versabatur.⁸⁾

¹⁾ Initio omnes canonicosex partibus episcopi Culmensis stetisse, apparere videtur ex appellatione Barth. Liebenwald in A. C.: K. nro. 3: quod licet venerabiles viri domini prepositus custos cantor ceterique capitulares nec non nonnulli subditi eccl. Warm. ss. in christo patri, ne hic Tungenium confirmaret, scripserint etc.

²⁾ Exemplum appell., cui extrema pars deest, in l. c.

³⁾ Secundum litteras papae ad ep. Ferrar. missas apud Theiner, mon. h. Ung. II. 427: (tractarunt legati Polon.) de absolutione ven. fr. Vincentii etc.

⁴⁾ Ex litteris a canon. ad papam missis dat. d. 28. Jul. 1473 in A. C.: K. nro. 3. Ceterum de Vincentii crudelitate Eichhornii descriptio p. 55 conferenda est, qui in hac re vel Treterum vincere studet.

⁵⁾ Treterus solus hanc rem affert!

⁶⁾ Ex litteris Dithmari de Calde mandat. ep. in A. E.*): D. 1. 48. datae die supradicto. — *) A(rch). E(piscop).

⁷⁾ sec. pact. Mar. de d. 2. Dec. 1467.

⁸⁾ Palacky 612.

Quae quum ita essent a. d. V Id. Nov. Nicol. episcopus a Casimiro hostis patriae declaratus est, qui capiendus ac tradendus esset.¹⁾ Quod factum est in conventu generali Pietri-coviensi, quare, quae hic acta sunt, breviter docebimus. Per annum igitur hunc papa ad Casimirum miserat, ut promisso, quod illi factum esset, renuntians, imperium Bohemicum adipisci desisteret, utque Matthiam, regem bene meritum, hoc recipere sineret, quum ex altera parte imperator eum ad foedus sollicitaret, mutuis matrimoniis firmandum, ut jam supra demonstratum est. Quibus de rebus quamquam disputatum est, tamen nec de hac, nec de illa re quidquam momenti constitutum est. Roman denuo et in Prussiam legati missi sunt.

1470.
d. 9 Nov.

1471.

Tungenius interea per illud tempus exsul egit,²⁾ neque eum in episcopatum suum intrasse verisimile est. Tum Rigam se contulit, ubi Jd. Nov.³⁾ anni 1471 episcopo metropolitano suo juravit. Sed usque ad hoc tempus res sua plane mutata erat; quod, quomodo factum sit, breviter est narrandum.

Rex Poloniae nondum spem abjecerat, se esse perpetraturum, ut Vincentius a papa episcopatum praeficeretur.⁴⁾ Quae regis fiducia morte Georgii regis aucta est. — a. d. XI Kal. April. — Qua re quantopere res quoque Warmienses mutatae sint, facile intelligi potest ex eo, quod jam a. d. V Non. Jul. Paulus sec. ad Nicol. episcopum scripsit: Deliberavimus super sedendum esse in negotiis istius Warm. eccl., quod aequo animo ferre debes; communis reipublicae christianae utilitas ad hanc nos deliberationem induxit.⁵⁾ Quis non intelligit, ea de re papam tam celeriter a sententia priori recessisse, quod a. d. VI Kal. Jun. Wladislaus, Casimiri regis filius, rex Bohemiae erat creatus?⁶⁾

De morte
Georgii
regis Bohe-
miae.
d. 21 Martii

d. 3. Julii.

d. 27 Maj.

Brevi post papa et Casimirus in plenam gratiam amicitiamque redierunt. Itaque papa Casimiro morem gerens Andream Opporowski, episcopo Plocensi mortuo, non eidem quidem ec-

¹⁾ Exemplum in A. E.: E. b. nro. 3. — die Veneris pro f. s. Martini.

²⁾ Exemplum in A. E.: E. b. nro. 1.

³⁾ Ex litteris regis datis d. 3 Martii 1471. ib. D. 1. 37.

⁴⁾ Ex litteris modo citatis.

⁵⁾ Theiner, mon. h. Pol. II. p. 172.

⁶⁾ Palaucky V. 1. p. 31.

1470. clesiae, ut Casimirus voluerat, sed Warmiensi praefecit et Nicolaum episcopum in ecclesiam Caminensem transtulit. -- a. d. XVI Kal. Dec. 1471.¹⁾

De expugn.
Warmiae
per Tungen.
facta.

Suo jure papa in magna spe esse potuit, controversiis, cum rege Poloniae propter confirmandum episcopum Warmiensem exortis, jam finem esse factum. Quis enim putabat, Nicolaum episc., quamquam ante tres dies metropolitano suo juraverat, quum illo tempore opibus subsidiisque nudatus extra dioecesim versaretur, brevi tempore episcopatu Warmiensi potiturum esse? Quis putabat, Nicolaum id brevi facturum esse consensu ac voluntate papae?

d. 1 Martii
1472.

Quomodo fieri potuerit quaeris? Casimirus igitur rex, qui ultimis mensibus anni 1471 conatus erat Matthiae regnum Ungariae eripere,²⁾ a papa Kal. Mart. ann. 1472 excommunicatus est.³⁾ Facile intelligis, hac re statum Warmiae quoque mutatum esse — usque ad mensem Majum ejusdem anni. Nam eo tempore papa rursus legato suo mandavit, ut omni qua posset opera inter reges Poloniae et Ungariae magistrumque et fratres ordinis Theutonici, qui iidem Kal. Mart. a juramento regi Poloniae praestito absoluti in regis Ungariae praesidium sese conferre jussi erant,⁴⁾ pacem componat.⁵⁾

Quod quomodo multis verbis exponam non habeo; quae vero interea Tungenius susceperit, breviter explicandum erit.

Initio igitur anni 1472 auxilio Warmiensium confisus cum quingentis tantum mercenariis episcopatum suum expugnare

¹⁾ Dlug. 474. Eichhornius, qui Treteri auctoritatem secutus statuit, posteriori tempore papam declarasse, Andreae Opporowski bullas fuisse falsas et subreptitias — Treter p. 54 — rem totam perperam narrat. Argumenta colligere, ut ostendam, sententiam hanc absurdam esse, minime opus esse mihi videtur, quum, qui quaerit, facile inveniret et in recessibus apud Schütz et in aliis ejusdem aetatis documentis. Quare, quaeso, necesse fuisset Romae per biennium causam agere? cf. narrationem meam inferiorem. Num re vera Eichh. putat, Romanum iudicium ita fuisse turbatum, ut non extemplo cognovisset, Opporowski esse falsarium? Fortasse Treterus chronicon Gedanense: vom Pfaffenkrieg non intellexit: und hatte ouch ein confirmation erworben uber das bischoffthum zcu Heilsberge mit arger list i. e. largitione, script. IV. 681.

²⁾ Palacky V. 1. 54. Dlug. 470 sqq.

³⁾ Bulla papalis data Kal. Mart. 1471 apud Theiner, monum. Ung. II. 431.

⁴⁾ ib. 433.

⁵⁾ ib. 436.

coepit.¹⁾ Jam a. d. XV. Kal. Jun. Gedanensibus nuntiare potuit, se Brunsbergam occupasse et, simulatque pax et concordia restituta sit, ecclesiam Frauenburgensem reaedificare in animo habere.²⁾ Post captam Brunsbergam urbibus Guttstadt et Roessel potitus est.³⁾ Pridie Kal. Jul. in pugna contra Joannem Koszielieczki commissa tres ejus capitaneos cepit.⁴⁾ A. d. IX Kal. Spt. Brunsbergenses et quatuor aliarum civitatum incolae, in quibus praeter praedictas etiam incolae urbis Wormditt, Gedanum nuntiant, se esse promptos Nicolaum agnoscere episcopalem praesidem eumque defendere.⁴⁾

d. 17 Maj.
1472.

d. 24 Aug.

Episcopum igitur gaudentem expugnatione in priore aestatis parte facta facientes, quae jam per hunc annum a Polonis disputata sunt, docebimus.

§ 4a.

1472—1474.

Usque ad annum 1472 quamquam, ut jam memoratum est, Poloni multa cum ordinibus Prussicis agebant, tamen graves controversiae exortae non sunt. Aliquoties quidem de belli sumptibus acriter disputatum, res ad finem perducta non est,⁶⁾ quod vero magis ob eam rem factum esse videtur, quoniam opes, quam quoniam bona voluntas deerat. Quum autem nihilominus pecuniae mercenariis solvendae essent, in praesenti quum aliae disputationes rejectae esse videntur, tum illa, num ordinibus Prussicis liceret, Polonis nesciis diaetas provinciales agere.⁷⁾

De conventu
Pietricov.
Mart.
habito.

Haec res acrius disputata est in conventu Pietricoviensi,⁸⁾ habita mense Martio ej. anni.⁹⁾ Ordines Prussici, a rege con-

¹⁾ Dlug. 481.

²⁾ Scriptor. IV. 680 n. 2.

³⁾ Dlug. l. c.

⁴⁾ Scriptor. l. c.

⁵⁾ ib. Schützius igitur false dicit fol. 340: Aber um den angehenden herbst hernacher kam Niclas von Tungen und fiel mit gewalt in das bisthumb.

⁶⁾ Schütz 332 et 336.

⁷⁾ Schütz fol. 332.

⁸⁾ ibid. 339 sqq.

⁹⁾ Dlugoss. p. 479: pro die dominica, quae fuit dies Solis quindecima mensis Martii indicta.

1472

ventiones regis Polonici injussu et consiliariis absentibus Polonicis vetiti, foedus cum rege anno 1454 ictum laesum esse affirmaverunt, quum illo, ut privilegia sua observarentur, statutum esset. Atqui sese jus illud sub ordinis imperio tenuisse.

De altera quoque re consilarii Polonici et ordines Prussicorum dissentiebant, num igitur ordines Prussici obstricti essent, de omnibus rebus, quae in conventibus Polonorum disputarentur, consiliiari. Rex imperavit, ut essent.

Tum denuo res quoque Warmienses in medium prolatae sunt. Ordines etiam de hac re affirmaverunt, Casimirum regem contra privilegia sua facere, quum Andream Opporowski, qui gente esset Polonicus, muneri Prussico praeficere studeret. Aderant etiam nonnulli canonici Warmienses, qui vehementer conquerebantur, quod Opporowski ecclesiae suae sumptus permagne auxisset. Perspicuum est, consilia Prussicorum ordinum et canonicorum Warmiensium non plane consensisse. Dum illi hoc tantum agunt, ut Polonos ab officiis Prussicis arcerent, Warmienses etiam jus suum episcopi libere eligendi sibi reservare nitentur. Quare mirandum non est, quod rex rogatus est, ut Vincentium Kielbassam, episcopum Culmensis et administratorem eccl. Pomesaniensis, Warmiensi quoque praeficeret.¹⁾ Nam ille, ut supra jam memoratum est, fortasse natione Prussus erat, aut, quia erat Culmensis episcopus et curam rerum Prussicarum diligenter suscepit, in numero Prussorum habebatur. Contra minime in animis Warmiensium esse potuit, Vincentium sibi episcopum rogare, in quem permagna eorum pars inimicissimo erat animo.

Sed regi, ut Schützius dicit, placuit et libenter audivit, quod Vincentius tam benevolenter se adversus ordines Prussicos gesserat, et promisit, se Vincentium in episcopatu Warm. defensurum esse. Quomodo autem id fieri posset, prolatum non est.

¹⁾ Eichhorn p. 154 et 155 loquitur de bullis subreptitiis Vincentii quoque. Hunc esse errorem et ex recessibus apud Schütz satis superque elucet, et ex Duglossi narratione, qui eum nunquam episcopum Warmiens. nominat. Ne ipse quidem unquam se sic appellat, cf. etiam Theod. Hirsch in script. IV. 680 n. l. Si Eichh. p. 154 ad argumentum binas regis litteras affert, error est, in quibus a me perlectis nihil ejusmodi invenitur.

Vincentius autem ipse eo intentius rei suae expedire studuit. A. d. IX Kal. Jun. conventum Elbingi habuit, ad quem etiam Nicolaum episcopum Caminensem — sic eum nominat — litteris, quibus illi fidem concessit publicam, invitavit.¹⁾

d. 22 Maji
1472.

Dum igitur Vincentius spem episcopatus Warmiense in partem revocat, Opporowski, jam pridem a papa in eundem episcopatum confirmatus, a rege jussus est, quamquam jam ante mensem se a papa episcopum Warm. confirmatum esse Gedanensibus nuntiaverat,²⁾ confirmationi renuntiare. Vix Roma reversus iterum jussus est, illam a papa repetere.³⁾

Verisimile est, bullas papales, supra memoratas cum hac re cohaerere,⁴⁾ sed accurati nihil dici potest. Rex igitur, denuo consilio mutato, mense Augusto per legatos suos in Prussia Opporowski verum esse Warmiae episcopum pronuntiat. Hi legati Polonorum simul a Casimiro rege in Prussiam missi ad res Prussicas componendas, quae expugnatione Warmiae per Tungenium paene finita perturbatae esse videbantur, ordines Prussicorum adeunt, ut cum Nicolao agerent. Quo facto, convenit, ut ab utraque parte legati sive procuratores Romam mitterentur et, uter Romae causam obtineret, episcopatu esset praeficiendus. Donec autem papa decidisset, castra Heilsberg et Seeburg a Nicolao episcopo id temporis obsessa militaribus et civibus Prussiae traderentur.

De foedere
Heilsber-
geni et
Elbingensi

Quas in condiciones quamquam Nicolaus episcopus initio inierat, tamen brevi post denuo armorum initium fecit. Prusici vero interpretes, ut Polonorum iratos animos a bello terrae inferendo abstraherent, iterum in dioecesim Warmiensem profecti — a. d. V. Jd. Spt. die Mart. pro festo exaltationis crucis — Heilsbergae episcopum monebant, ne Polonos milites in Warmiam ducere cogeret; nam permagna tantum opera navata sese Polonorum animos iratos, quippe qui condiciones cum illo initas non probassent, placavisse. Tungenius respondit: sibi nihil utilitate ecclesiae magis esse curae, neque se vivum permissurum esse, ut Polonus illi praeponeretur. Quod ne

d. 9 Sept.

¹⁾ Litterae autogr. in A. C.: K. nro. 3. cf. Eichh. 158 n. 5.

²⁾ Script. 680 n. 5 die 20 Febr.

³⁾ ib., cui rei bene consentit Schütz. fol. 351.

⁴⁾ supra p. 20 n. 3.

1472. fieret, imprimis necesse esse, se castris jam diu obsessis potiri. Tandem autem promisit, se urbes suas conscripturum esse, ut de his rebus consulerent.

Ordines Prussici hac re commoti, quum et Polonis satisfacere bellumque avertere et privilegia sua servare summopere niterentur, hoc responso accepto ad Fabianum de Legendorf, qui tum castris praedictis praeerat, se contulerunt, qui, quum castra per longum tempus tenere non posset, se illa esse traditurum promisit, si episcopus, se et quos secum haberet impune ac libere abire concessurus esset.¹⁾

Quae quum ita essent, Nicolaus episcopus urbibus interea consultis cum interpretibus Prussicis in has fere condiciones composuit:

Primo ut causa sua Romae dijudicaretur, quo intra mensem procuratorem legaturus esset, qui ibi per unum vel duos annos permaneret; deinde ut castra Heilsberg et Seeburg militaribus et civibus Prussiae traderentur; tum ut episcopus captivos Polonorum usque ad diactam Elbingi habendam dimitteret.

Praeterea condiciones factae sunt de libero obsessorum receptu, de inimicitiis intermittendis, de venia adversariis danda etc. Denique inter capitulum subditosque Warmienses et interpretes Prussicos convenit, ut, etiamsi Nicolaus ex episcopatu expelleretur, nullum reciperent episcopum, nisi qui secundum privilegia et jura sua episcopatui praeficeretur.

His conditionibus constitutis castra Heilsberg et Seeburg ordinibus Prussiae tradita sunt.²⁾ Postquam altera pactione constitutum est, ut praesidium castrorum ex vectigalibus oppidorum Heilsberg et Seeburg nec non Bischofstein, officii episcopalis, sustentaretur, castris, Seeburgensibus praepositus est Hans de Baysen, Heilsbergensibus consules et Gedanensis et Elbingensis.³⁾

¹⁾ Schützius effusius de hac re fol. 340 sqq. cf. etiam Voigt p. 45.

²⁾ False Eichhorn dicit: p. 158: und macht in kurzer Zeit den Bischof zum Herrn des ganzen Ländchens. Recte Dlugossus p. 482: conquire nititur. Voigtius p. 48 non accurate: konnte sich schon als Herr fast des ganzen Ländchens betrachten. Res supra narrata etiam probatur litteris militarium et civium Warmiensium ad papam missis: vero duo dumtaxat castra Heilsberg videlicet et Seeburg cum defensores eorum jam pene deficerent et dubitarent de tutela cadem dominus Nicolaus . . . dimisit. Litterae datae sunt: Brunsbergae die 30 Julii 1473. in A. E.: E. b. no. 4.

³⁾ Scriptores IV. 682 n. 1 et n. 2.

Perspicuum est, conditiones hujus foederis ut ratae essent, primo a legatis accipiendas, tum a rege Casimiro confirmandas fuisse; quod vero factum non est. 1472.

Namque legati, quum, pactione a. d. V. Kal. Oct. — sub vespera Michaelis — in diaeta Elbingensi, cui etiam episcopus Warmiensiis cum pluribus canonicis aderat, Polonis ad accipiendum proposita, arguerentur, quod magis episcopatus quam Poloniae regni commodum respicientes composuissent, nec foederis ejusmodi concludendi facultatem accepissent: non adepti sunt comprobationem foederis Heilsbergensis. Qua re ordines Prussici ita exacerbati sunt, ut Philippus Bock, proconsul Gedanensis, minaretur, in episcopum Vladislaviensem, nisi episcopus suus et persona spiritualis esset, sic se esse consulturum, ut honestos viros deceret. d. 26 Oct.

Sed non tantum de hac re Poloni et Prussici dissentiebant, sed etiam de persona, quae, Nicolao causam perdente, in episcopatum instituenda esset; nam ordines Prussici interrogati, num Opporowski in episcopatum intromittere in animo haberent, respondebant, non missuros, quum contra privilegia sua facere non possent. Quum autem postea de captivis, quos episcopus manumiserat sub hac conditione, ut Elbingi sibi pactione non accepta redderentur, disputarent, episcopus eos usque ad aliam diaetam dimittere voluit, si corona et baculum episcopale Vincentio, episcopo Chulmensi, quondam utendum datum, redderentur. Quod num factum sit nescimus, captivos redditos non esse scimus.¹⁾

Legati igitur Polonorum post diaetam Elbingi habitam in Poloniam profecti nihil effecerant, nisi quod res Prussicas jam ante turbatas etiam magis turbaverant. Nam ordines Prussici se ad conditiones pacti Heilsbergensis, quamquam a Polonis comprobatae non erant, observendas obstrinxerunt. Praeterea inter ordines Prussicos et Warmiensem episcopum convenit, ut is usque ad ante diem X. Kal. April. 1473 Casimirum regem aut ipse adiret, aut per legatos veniam gratiamque rogaret; qua accepta captivi liberi essent, alioquin illi secundum conditiones pacis Heilsbergensis sese episcopo offerre tenerentur.²⁾ d. 23 Apr.

¹⁾ Schütz fol. 343 sqq.

²⁾ Schütz fol. 345.

1472.

Bellum igitur si re vera hoc tempore sublatum est, non per legatos Polonorum, ut Dlugossus vult,¹⁾ sed per ordines Prussicos factum est, quippe qui partem episcopi deserere recusantes, quominus bellum Warmiae inferretur, impediverunt.

De conditione regnorum vicin.

Aliquantulum hic subsistat narratio, ut, quos in regnis vicinis aut socios aut inimicos hoc tempore habuerint Warmienses, explicari possit.

Antequam diaeta Elbingensis haberetur, Poloni magistrum quoque ordinis Theutonicorum rebus Warmiensibus implicare studuerant, quem insimulabant, quominus Nicolaus in episcopatum intrasset, non impedivisse.²⁾ At magister crimen amoliebatur et profecto, quamquam constat, illum magis episcopi quam Polonorum parti favisse,³⁾ tamen hoc anno litteras a Polonis accepit, quibus, se de sinceritate animi in Polonos non dubitare⁴⁾, ei affirmatum est.

Num Matthias Corvinus Ungariae rex jam hoc tempore cum episcopo Warmiensi conspiraverit, in dubio relinquendum est. At Casimirus rex Poloniae in conventu Thorunensi, de quo mox disseremus, rem ita profert, ut facile suspicias, jam tempore expugnationis episcopatus Nicolaum cum Matthia, rege Ungarico, societatem contraxisse.⁵⁾

¹⁾ Dlug. 482.

²⁾ Effusius de ea re Voigt, p. 45 sqq.

³⁾ Voigt, p. 46 n. 2: es spricht sich aus diesem Briefe ein durchaus freundliches Verhältniss zwischen dem Hochmeister und dem Bischof aus.

⁴⁾ In duabus litteris a Voigt, p. 52 n. 2 recitatis quarum alterae regis dat. in Pytrkow feria secunda rogation. 1473, alterae feria tertia in die s. Urbani ej. anni. — die 25 Maji.

⁵⁾ Rex, qui modo querelam ad ordines Prussicos de Nicolao protulit, pergit: so wisset ihr wol, dass unser feind der von Ungern ist komen in unsere stede und gegend, die uns gehuldigt haben, die hat er beschedigt, ausgebocht, verbrand und noch, wo er mag, uns schaden zueucht. Tum pergit: so wolte wir gern wisse, von wem herr Tunge etc. Schütz fol. 345 sqq. Nec non Dlugossus res Warmienses cum Ungaricis conjungit: quod parum felices successus Casimirus rex Poloniae ex Hungaria retulit, Nicolaus Tungen consurgit etc. p. 481. De bello Ungarico hoc tempore gesto disserunt: Engel, Gesch. des Ungr. Reiches III. 1. 319. Mailäth, Gesch. der Magyar. II. 241. Sed ex hoc quidem bello suspicio excitari non potest, quum Casimirus ipse initio regem Ungaricum lacesisset. Fortasse autem episcopus Warmiensis mense Martio anni 1472 a papa jussus erat in praesidium regis Ungariae se conferre, idque nondum abjecerat, quam ad rem magister ordinis eo tempore incitabatur. cf. Theiner, monum. Ung. II. 433.

Papam vero hoc adhuc anno ex partibus regis Poloniae stetisse, et per legatum Nicolao episcopo imperasse, ut episcopatu recederet, Casimirus in eodem conventu Thorunensi affirmat ordinibus Prussicis, neque, cur dubitetur, facile reperietur causa. 1472.

Quamquam igitur Nicolaus episcopus externo subsidio carebat, Casimirus tamen, fortasse per legatos certior factus, ordines Prussicos aperte episcopo indulgere, ipse ad res componendas in Prussiam se contulit et Thorunii per quatuor hebdomades cum militaribus et civibus Prussiae tractabat. Etiam Nicolaus Tungen. eo legatos suos secundum pactum Elbingense miserat, qui admissi non sunt. Ceterum quum Casimirus et ipse conditiones pacis Heilsberg-Elbingensis non probans a militaribus et civibus postularet, ut sibi castra Heilsberg et Seeburg traderentur, ordines Prussiae se conditionibus illius foederis obligatos esse ostenderent, res ad eventum perducta non est. Quam ob rem rex, quae tum ordines Prussici conquesti sunt, non exaudivit, scil. quod privilegia sua persaepe laesa essent, secundum quae regi non liceret, Prussiae arcibus Polonos et Bohemos praeficere nec extra terrae suae fines res Prussicas tractare; denique quod sibi non esset, ad quem rege absente refugere possent.¹⁾ — Exeunte a. 1472. —

De regis
adventu in
Prussiam.

Itaque quum multum acriterque de his rebus disceptatum esset, Casimirus infectis rebus recessit. Ordines vero Prussiae, ut iram regis placarent et bellum a terra arcerent, nihil antiquius habebant, quam ut etiam hieme 1473 diaetam Elbingi conscriberent, cui etiam Nicolaus episcopus aderat. — postr. 1473.

¹⁾ cf. ad postulationem ultimam Theod. Hirsch, die Aufhebung des Gubernatorantes in Preussen in script. IV. 690 sqq. Cetera ex Schützio fol. 345 sqq. et Dlug. p. 486 narrata sunt. Non miramur, quod scriptor Polon. verbis rem augens dicit, Tungenium terram expugnasse, consciis et consentientibus militaribus et civitatibus Prussiae et Pomeraniae; alio loco: p. 482: Stiborio de Baysen, quod a gubernatione Prussiae illum Casimirus rex Poloniae amovisset et nonnullis aliis militaribus etc. Sed falsa sunt, quae de rebus Warmiensibus profert in p. 486: Nicolaus insuper — quievit. Nam ex recessibus apud Schütz, qui comprobantur per Theod. Hirsch in script. 681 n. 5, comperimus, legatos Nicolai episcopi non esse admissos. Ob eam tantum causam Dlugossum rem depravasse apertum est, ut regem ab omni culpa purgaret. Nam mendacium esse regem conditionem interposuisse atque Nicolaum abuisse, mox videbimus.

d. 2 Febr. 1473. Kal. Febr. — Qui quamquam certior factus, regem quoque Poloniae graviter ferre, quod foedus Heilsberg-Elbingense fecissent, etiam atque etiam monebatur, ut, qua ratione bellum evitari posset, indicaret, non potuit adduci, ut episcopatu se abdicaret, sed ab ordinibus petivit, ut conditionibus foederis starent, quum ipse ad causam suam agendam jam procuratorem Romam legavisset.¹⁾

Itaque in hac quoque diaeta frustra disputatum est, praesertim quum episcopus aperte prae se ferret, etiamsi causam suam perderet, fiduciam se in deo positurum esse et malle, terram suam esse devastatam et liberam, quam esse florentem et subjectam.

De Andrea
Opp. cum
Prussis
agente.

Brevi post Andream Opporowski, episcopum Warm., episcopatu suo ex voluntate papae potiturum esse, rex Polonicus litteris ad Prussos missis nuntiavit.²⁾ Opporowski re vera in Prussiam advenit et summam navabat operam, ut ordines Prussicos in partes suas detraheret. Sed Dirschoviae, ubi primo concilio militarium et civium Prussicorum adfuisse videtur, ei responsum est, non tantum fuisse numerum coactum, ut de tam gravibus rebus disputare possent, et quum brevi post ab ordinibus in urbe Graudenz convocatis posceret, ut se in dioecesi Warm. intromittendum curarent, excusabant, quod essent laici neque de rebus spiritualibus disputare possent.³⁾

¹⁾ Enoch de Cobelau, cf. de eo Eichhorn p. 159. Hoc loco pertractabimus rem, quae quamquam haud magni momenti est, tamen digna esse videtur, quae enucleatur. Ex recessib. apud Schütz et Theod. Hirsch, script. IV. 681 notum est, Andream Oppor. ter a Polonia Romam profectum esse. Primo in Poloniam redierat mense Februario, ib. 680 n. 5.

Mense Martio ej. anni a rege jussus confirmationis bullam papae referre secundo Romam ivit. Quum vero mense fere Augusto rex sententiam mutasset, tertio se in urbem profectum esse dicit apud Schütz et script. l. c.; quod autem mense demum Decembri aut etiam posteriori tempore factum esse ex eo perspicuum est, quod dicit, per 14 dies ibi versatum se procuratorem episcopi Nicolai offendisse, qui ultimo tantum anno eo advenisse videtur. Eichh. 159; cui rei bene consentit, quod Oppor. initio hujus anni revertisse videtur.

Est igitur verisimile, regem expectare voluisse, qui eventus diaetae Thorunensis futurus esset. Aliam equidem cunctationis causam non reperio.

²⁾ Script. IV. 681 n. 5. Binae litterae datae sunt d. 8 April. et 14 Maji 1473.

³⁾ Schütz fol. 351. script. l. c.

Nec minus rex Poloniae res Andreae episcopi adjuvare studuit. Itaque in conventionem Radom habitam¹⁾ a Polonis auxilium petiit, ut Nicolaus Tungen. episcopatu expelleretur, quod ei concessum est. Nam a baronis et praelatis suis sententiae prolatae sunt, se esse paratos ad Andream Opporowski in dioecesim Warm. instituendum, etsi bellum oriretur, quod majus esset, quam modo finitum.²⁾ Ut autem, si fieri posset, bellum evitaret, rex etiam admonitionibus et litteris usus erat, quibus iis Warmiae urbibus, quae se ad Nicolaum episcopum adjuverant, veniam promisit.³⁾

Ceterum quin Warmienses hoc tempore nondum de confirmatione Andreae certiores factae sint, quamquam id mirum videtur, dubitari non potest.⁴⁾ Etiam Nicolaus aliquid certi non comperisse videtur, nisi quum in diaeta Elb. cum Opporowski congregaretur. — a. d. VIII. Kal. Jul. —

Opporowski qui diversas papae bullas ad Tungenium, capitulum ejus etc. missas secum ferebat et demonstrare conatus est, episcopatus per longum tempus praeside carere non posse, idcirco papam solum de illis judicare, Tungenium commovere non potuit, qui multis verbis oppositis tandem iterum ad sedem apostolicam appellavit.

Quae quum ita essent, ordinum Prussicorum tantum sententiam momenti fuisse, quis non intelligit? Sed Opporowski linguae et scripturae Germanicae non potens, nonne ipse ad

¹⁾ Dlugoss 492 pro festo Pentecostes — die 6 Jun. —

²⁾ Schütz fol. 350.

³⁾ Litterae regis ad Warm. missae datae sunt d. 31 Maji 1473; apud Dog. IV. 179, in A. E.: D. 1. 37. Eichhorn eas non intellexit; p. 160 dicit: offenbar eine List, um dem Gegner das Vertrauen seiner Anhänger zu entziehen; equidem, quia, si res ita esset, regem non dolo sed mendacio usum esse putans, locum illum: — verum quia praefatus reverendus pater episcopus Caminensis nostram commotionem satagens cum reverendo in Christo patre Andrea, ep. Warm., composuit — ita esse intelligendum affirmo, ut rex ad foedus Heilsb. — Elb. recurrat. Quod quamquam nunquam ratum fecerat, facile tum, quum Opp. a papa confirmatus erat, dicere potuit, composuisse Nicol. cum Andrea et sibi de praefatis castris et civitatibus ipsius ecl. conscendisse et resignasse.

⁴⁾ Ex litteris a subditis Warm. die 30 Julii ad papam missis. Legitur: se audivisse rumore quodam, Oppor. ep. esse confirmatum, quod nullas desuper litteras authenticas vidissent. Huic rei bene consentit Schütz l. c.

1473. oculos demonstravit, ordines Prussicos, si opera eorum in episcopatum institueretur, contra privilegia facere? Adde quod permagno metu belli impleti nec ad hanc nec ad illam partem inclinare audebant: habebis, quare et hic frustra dissertatum sit. Episcopo vero Tungen. declararunt ordines, ne cuiquam sui confideret; qui nihilominus promptae audaciae erat et necessitate cogente ad belligerandum promptus apparuit. Tandem constitutum est, ut, castris non traditis, amicitiam regis violare evitarent.

§ 4b.

Res inchoata porro tractatur.

De
tumultib.
in regn.
vic. exort.

Ex quibus decretis facile putare possemus, regem Poloniae non eo quo debebat fuisse animo, nisi nobis jam liceret, regni Polonici statum eo tempore perspicere et dijudicare. Casimirus vero id temporis aliis gravibusque rebus adeo erat occupatus, ut tempus non haberet, res Prussicas armis atque vi componere. Primis enim hujus anni mensibus et in Ungaria et in Bohemia et in Polonia motus belli oriebantur; quos ut comprimeret, frustra Marcus, legatus apostolicus Roma missus, omnes vires intendit. Matthias Corvinus rex senatum Bohemicum ad defectiorem laccessiverat, duces et ordines Silesiae ad bellum. Wladislaus autem, rex Bohemiae, quamquam a patre pecuniis adjunctus, res suas corrigere non valuit. Casimirus in suo ipsius regno in permagnis negotiis versabatur, qui, magna tantum opera adhibita, nobilitatis minoris iratos animos in diaeta, Radom habita, lenire potuisset. Ut vero communem hostem, Matthiam regem Ungaricum, vincerent et opprimerent et pater et filius, Friedericum III., imperatorem Germanorum, ad societatem amicitiamque commovere tentarunt. Nam eum quoque idem Ungariae rex in possessionibus Austriacis minabatur.¹⁾ At ex Germania quoque securitas ac salus accipi non potuit, quae ipsi deerant. Statum rerum significat, dicit recte Droysen, quod, dum inter Ungaros et Polonos et Bohemos res aguntur, Carolus dux Burgundiae et Albertus Maregrafius Brandenburgiae arbitri electi sunt, id quod, quia res expediri explicarique nondum potuerunt, secundo eventu ten-

¹⁾ Dlug. 489.

tatum non est.¹⁾ Legati igitur a Casimiro foederis contrahendi causa in Germaniam missi, quum ibi omnia perturbata invenirent, mense demum Martio sequentis anni rem ad eventum perduxerunt.

Status igitur Poloniae hic erat, ut Casimiro ad res componendas Prussicas tempus non relinqueretur. Quam ob rem factum est, ut adventum,²⁾ quem jam Prussiae ordinibus promiserat, abnuntiaret.

Itaque Warmienses quoque, quod regis praesentiam timebant, nihil habebant. Iterum res suas litteris ad sedem apostolicam per Marcum legatum fortasse translatis adjuvare conati sunt.³⁾

Ultimo mense Octobre Duninus legatus regius iterum in Prussiam profectus est. Jam sententiae in conventu ab illo habito a. d. V. Kal. Nov. — die Sim. et Judae — prolatae sunt, ut incolae Prussici a commerciis cum Warmiensibus prohiberentur, quae tamen Prussiae ordinibus nondum probatae sunt.⁴⁾

1473.

De novis
Prussico
Pol.
actionibus,
d. 28 Oct.

¹⁾ Droysen, *Gesch. der preuss. Politik* II. 1. 408.

²⁾ Dlug. 493.

³⁾ Quinque habemus litteras, de quibus quod opus est jam Eichh. p. 161 et 162 attulit. Datae sunt ultimo Julio. Quum Marcus legatus d. 15 Nov. Romam rediret — cf. Bzovius, *annal. eccles.* XVIII. 86 — et unam epistolam capitulum illi inscriberet, omnes illi traditas esse litteras, haud probabile non est. Ceterum legatum nec quidquam apud Ungaros nec apud Polonos nec apud imperatorem profecisse, vide apud Palacky V. 1. 89. Engel 333. Dlug. dicit, eum, quamvis fuisset in partem Hungari propensor, se continuisse. Ex litteris modo citatis nimirum apparet, papam id temporis ex parte Andreae stetisse, alioquin enim omnino conscriptae non essent.

⁴⁾ Eichh. p. 162 ex Treteri opusculo exscripsit: dad. ermuthigt griff er zu den Waffen und fiel plündernd — sc. Opp. hoc tempore — ins Bisthum ein. Nonne autem vir doctus vidit, Treterum etiam hanc rem ut permultas alias confuse narrare? Si considerantur, quae ibi sequuntur — p. 54 sqq. —: „duos capitaneos cepit, Schamnikium Bohemum et Schortziuum Moravum, „capitaneus captus,“ „unde postea data fide, quod coram episcopo, quandocunque visum esset, se sistere deberent, dimissi fuerunt“ etc., nulli dubium esse potest, quin Treterus hoc loco narrare velit cladem illam Polonis mense Junio 1472 allatam. script. 680 n. 2.

Inimicitiae demum mense Februario anni sequentis susceptae sunt. Perperam igitur statuit, expeditione Andreae Opp. Nicolaum episcopum ad bellum redintegrandum perductum esse. p. 163.

1473.

Ut iterum controversiam vi non adhibita, si fieri posset, componere conarentur, ordines Prussici ultimo Novembri denuo Elbingi conveniunt. Tungenius quamquam invitatus non aderat. Quare illi permiserunt, ut aut Brunsbergae aut Wormditt post tres quatuorve dies secum ageret. Quum etiam hoc Nicolaus episcopus recusaret, tertio ordines Prussici eum ad rem in pace componendam commovere studuerunt,¹⁾ quod idem frustra factum esse verisimile est.

Caput alterum.

1474 — 1479.

§ 5.

1474 — mens. Febr. 1477.

De ex-
pugnatione
castr
Heilsb.

Ex omnibus, quae modo narrata sunt, facile cognosci potest, Nicolaum episcopum suum quoddam institutum consequi et coactum esse et voluisse. Quoad Polonorum quidem rex suis ipsius rebus satis superque occupatus erat, quoad imprimis Prussi ipsi bellum a terra arcere nitebantur, episcopus in dioecesi sua tutus erat. Nonne autem facile in alium statum res venire potuerunt? Commutatio vero rerum jam diu erat pertimescenda, quum Polonorum legati jam diu contenderent, ut imperatorem ad foedus societatemque cum Polonis faciendum adducerent. Foedere autem icto, quin episcopus summo in discrimine versaretur, nemo est, qui dubitet, praesertim quum terrae suae castra munitissima in ordinum Prussicorum manibus essent; quorum in fide nulla erat spes ponenda, id quod Nicolaus non tantum ex eo, quo proximo tempore fuerant animo, concludere potuerat, sed expressis verbis jam audiverat.

Non accurate de ea re disserit Theod. Hirsch script. 681 n. 5. Der Krieg, den die poln. Truppen im Sommer 1472 gegen Bischof Nicol. führen, geht zunächst von Kielbassa aus, der jedoch, wie es scheint, weil er an dem Erfolge verzweifelt, seine Sache dem vom Papste unterstützten neuen Prätendenten stillschweigend überlässt. Nam quum initio anni 1473 Opporowski tertio Roma rediret, rex Vincentio imperavit, ut episcopatum Warm. dimitteret. Schütz 550.

¹⁾ Secundum duas epistolas a Stiborio de Baysen ad episcopum missas, datae sunt: Sonnabend nächst Katharina — die 27 Nov. et Donnerstag für Barbara — d. 2 Dec. ej. ann.

Quam facile igitur castra illa pro certis ordinum animis Polonis tradi poterant! Practerea, ut taceam de Polonorum cohortationibus, suam ipsorum utilitatem respicientes illa quam primum tradere prompti esse debebant. Secundum tractatum Heilsbergensem commeatus universus tribus urbibus episcopalibus impositus erat, cujus autem onera, sive pauperiores illae urbes erant, sive episcopus consilio rem negligebat, urbibus Gedani et Elbingi solis supportanda erant.¹⁾

1473.

Ceterum quamquam, quod Casimirus foedere neglecto virum Polonicum ad episcopatum provehere studebat Prussicum, ipsorum privilegiis obstabat, tamen certis verbis promiserat, se jura ac privilegia denuo esse confirmaturum, ordinibus in hac tantum re morem gerentibus.²⁾ Porro si belli timore, quominus partes Nicolai desererent, impediabantur, quis non perspicit, timorem illum probabilem sanumque non esse, nisi regem bellum terrae non esse illaturum sperare poterant? Alioquin regis ira multo magis pertimescenda erat.

Quare concedendum est, episcopum in summo possessionis suae discrimine versatum esse. Adde quod graviter molesteque tulit, captivos Polonicos, qui ex conditionibus foederis Heilsbergensis reddendi erant, non sunt redditi, id quod satis illi fuit documento, quam perfidus Polonorum in eum esset animus.³⁾

Si quaerimus, utrum episcopus sequenti tempore magis iracundia perfidiae Polonorum, an ratione conditionis suae habita ad res gerendas incitatus sit, nemo jam erit, qui ad hoc pro certo respondere possit. Res gesta vero summi fuit momenti.

1474.

A. d. IV. Id. Febr. anni 1474 Nicolaus episcopus War-
miensis vel potius Caminensis, quum fortasse non ignoraret, animos Prussicorum militarium civiumque se sibi etiam magis abalienaturum, Ungariae regem sibi auxilio venturum esse, ut res suas per vim dolumque adjuvaret, castrum Heilsberg

d. 10 Febr.

¹⁾ Script. IV. 682 n. 2.

²⁾ Schütz fol. 348.

³⁾ Magnas in illis spes posuisse Nicolaum elucet ex binis litteris a Stiborio de Baysen ad illum missis, datis die Remigii — d. 1 Oct. aut d. 13 Jan. an. 1473 — et die Saturni pro festo s. Thom., die 18 Dec. ej. anni, nec non ex forma epistolae ad eundem scriptae in A. C.: K. nro. 3. Illae litterae sunt in A. E.: D. 88. Adde scriptor. 683 note 4.

1474. occupavit. Episcopus viginti ex mercenariis Ertmanni, consulis Gedanensis, qui castris praeerat, in partes suas traxerat. Ertmannus ipse captus episcopoque est traditus et domicilium in urbe habere jussus promittere debuerat, se non esse effugiturum.¹⁾

Ordines Prussicos minime cum episcopo fecisse, ut Dlugossus nobis persuadere nititur, praeclarissime ex illius aetatis litteris scriptisque cognoscitur. Ex litteris et chronico Gedanensi apparet, animos magnopere exacerbatos fuisse.²⁾ Neque tamen taceri potest, in Prussia putatum esse, Polonos ipsos illius proditionis in causa fuisse, quum jam saepe jussi captivos remittere, eos ad hoc recusavissent.³⁾

Ceterum, quin episcopus castrum Heilsbergense occupans fecerit, quod rebus suis utilissimum erat, dubitari non potest, quum et ordinum fidem incertam esse et, si Poloni castra sua munitissima expugnassent, episcopatum suum se perdidisse, sibi facile persuadere posset.

Hoc igitur initio capto, de castro Seeburgensi occupando cogitavit, quod vero nisi aperta vi adhibita fieri non potuit. Neque episcopus ab illa abhorrebat.⁴⁾

De disputatione acerrimis.

Poloni autem nihil suscipere valuerunt, nisi quod jam satis superque tentaverant: litteris et disputationibus res turbatas componere studuerunt.

d. 23 Febr.

Jam a. d. VII. Kal. Mart. capitaneus Marienburgensis litteras Gedanum misit, quibus illam calamitatem aegre se ferre affirmans, cives, ut auxilia sibi ad communem hostem repel-

d. 13 Martii.

lendum mitterent, adhortatus est. A. d. tert. Id. Mart. eodem consilio Casimirus scripsit.

Gedanensium vox et consilium summi fuisset momenti, qui autem et in posterum quieverunt.⁵⁾

¹⁾ Episcopum castro occupato foedus ac jusjurandum laeuisse, negari non potest, sed ut ille imprudenter egerit, ut Theod. Hirsch. script. 683 n. 1 vult, non concedo.

²⁾ l. c. n. 2.

³⁾ Ertmannus ipse hoc ad Gedanenses l. c. scripsit. Treterus cum Grunaovio false consentit, impetum factum esse die Solis, quum Ertmannus in laeto quodam amicorum sociorumque convivio accubaret. Hanc esse fabulam jam Theod. Hirsch docuit l. c. n. 1.

⁴⁾ Schützius fol. 354. Castrum Seeburg. et ipsum esse captum legimus apud Dlug. p. 513.

⁵⁾ Scriprores l. c. n. 2.

Mox integris viribus disputari coeptum est.¹⁾ Quamquam
vero in prima concione a. d. V. Kal. Mart. Elbingi habita per-
multa promittebantur, jure dubitari potest, num episcopi un-
quam Culmensis et Warmiense ex centenis militibus, quos
paratissimis animis pollicebantur, unum ad bellum miserint,
vel num ex ducentis peditibus, qui in Polonia ad bellum War-
miense collecti esse ferebantur, unus tantum ejus terrae fines
transierit. Non minore studio initio militares Prussici videntur
fuisse. 1474.
d. 25 Febr.

In Polonia ipsa, quum illis temporibus in tristissima esset
conditione indignationem „proditionis“ Tungenii celeriter eva-
nescere necesse erat.²⁾ Ceterum Poloni illa ipsa aetate non
minori erant alacritate in foederibus faciendis iisdemque paulo
post frangendis.³⁾

Interea in Prussia protinus disceptatum est.

Jam a. d. III. Kal. Mart. die dominica: Invocavit-Opporo-
vius, novus episcopus Warmiense, Christianus de Smolsko,
alii legati Polonici regis molestias in medium proferebant.⁴⁾
Poloni Prussos, quod nimium Tungenio indulissent, crimi-
nabantur. Expressis verbis militares et cives, Tungenium ip-
sis et ignaris et invitis castro potitum esse contendebant. In
eo etiam tum militares cum Opporovio consenserunt, ut, si

¹⁾ Schützius fol. 354 sqq.

²⁾ Eodem tempore Matthias expeditionem in Poloniam fecerat. Dlug.
p. 506 sqq. Mailáth, *Gesch. der Magyar.* II. p. 243 sqq. Engel, *Gesch.*
des ungr. Reiches III. 333 sqq.

³⁾ Qualis ejusdem aetatis fuerit fides, quae in foederibus saltem fa-
ciendis semper esse debet sacrosancta, elucet quum ex aliis Dlug. locis
permultis tum ex hoc: p. 507. Sed dum Panonici oratores in Lubocza,
et Polonici in Sandecz stando, de salvis conductibus et eorum inefficacia
jurgando tempus tererent, multa mala, caedes et incendia secuta sunt,
insidiacque suspectae conventum nostrorum cum Panoniis impediabant,
quibus barones Poloniae nectendos vulgus fabulabatur. — Porro pax
perpetua inter regna Ungariae et Poloniae reformata est die Lunae vige-
sima prima mensis Februarii Dlug. p. 507. Non multo post Dlug. narrat:
p. 512: Matthias Ungariae rex omnifariam Casimirum regem et regnum
Poloniae lacessiturus etc. etc. Mirari igitur nolumus, si legimus apud
Dlug.: p. 514. Nicol. Thungen pertimescens ex castris nusquam discedere
nec ad conventum Thoronensem etiam sub salvo conductu regio venire
ausus.

⁴⁾ Schützius effusius de hac re fol. 354 sqq.

1474. opus esset, Tungenus armis esset opprimendus; cui tamen rei repugnabant cives, quorum, ut res bello remoto componeretur, sententia erat.

d. 13 Martii. Tandem inter illos convenisse videtur, ut primum cum Warmiensibus ipsis agerent. Itaque a. d. III. Id. Mart. — die dom.: Oculi — in urbe Wormditt ordines Prussiae et capitulum Warmiense convenerunt. Deliberandis rebus praeterea quatuor urbium legati intererant.

Quum vero etiam tunc frustra actum esset, Prussi iterum Marienburgum ad res denuo deliberandas considerandasque sese contulerunt. Quum eadem causae jam toties prolatae, toties repetitae essent, facile et Poloni et Prussi perspicere potuerant, omne ejusmodi argumentum irritum fieri, quod et Polonia ea aetate afflicta jaceret, et ordines Prussici a bello vehementer abhorrerent, id quod gravis perseverantiae speciem praebere potuisset, nisi aliquantum fluctuantis animi et tergiversationis ad mixtum fuisset. Jam vero vias rationesque invenisse sibi videbantur, quae utriusque partis consensu ineundae essent. Jam antea aliquoties in conventibus, Warmiam ab omni comaeatu commercioque esse intercludendam, jactatum erat, quod tamen nondum ordinibus probatum est. Fortasse ob eam causam, quod Warmienses in conventu in urbe Wormditt habito tantam pertinaciam praebuerant, res tum secundo eventu redintegrata est.

Quocunque modo res se habet, militares et cives illo tempore id decrevisse traduntur. Ut etiam ordinis Theutonicorum magistrum, qui idem faceret, moverent, eum ad conventum Marienburgi habendum invitaverant; magistrum id potissimum spectasse, ut omni episcopatus Warmiensis lite abstineret, jam supra demonstratum est.¹⁾

Quum igitur hoc ipso anno ineunte Casimirus eximiis clementiae suae documentis additis magistrum incitaret, ut, si necesse esset, contra episcopum auxilium openque ferret, magister se id facturum esse, negaverat.²⁾

¹⁾ cf. supra p. 26.

²⁾ Voigtius IX. p. 78 de hac re duas profert epistolas, datas a. d. VI. Kal. Febr. et postr. Non. April — aut Non. Decembr.?? Mittwoch nach Ambrosii.

Jam vero promptissimus ordinis vicarius commendator Osterodensis Martinus Truchsess de Wetzhausen postr. Non. Majas — die dominica: Cantate — Marienburgi ante collectos legatos regios et ordines Prussicos exstitit. Crimina in ordinem imprimis ab episcopo Culmensi collata ordinis vicario locum inter accusatos potius, quam inter judices assignabant. 1474. d. 8 Maji.

Martinus commendator, quum argumenta permulta ex pace Thorunensi petita audivisset, haec fere respondit: Se comitesque suos esse stultiores, qui tot articulos accurate interpretari possent. Si legati Polonici eadem sensissent, et multae orationes et itinera multa, quae quidem adhuc irrita fuerant, omnino ommissa essent.¹⁾

Quis enim potiore jure episcopatum teneret, nemo jam sciebat. Initio quidem capitulum Warmiense libere et suo jure Nicolaum Tungenium creaverat, sed jam paucis post mensibus a papa petierat, ut Vincentium episcopum Culmensem in episcopatum Warmiensem confirmaret. Papa vero providerat eum, qui primus electus erat, eamque provisionem sustentaverat, donec regi Poloniae morem gesturus mense Novembri anni 1471, Tungenio in ecclesiam Caminensem translato, Andream Opporowski episcopatum Warmiensi praeficeret. Initio anni sequentis Casimirus, rex Poloniae, excommunicatus, Nicolaus, episcopus Warmiensis, Warmia potitus est. Utrum id papae consensu factum sit, nec non, quis decidere vult? Brevi post Casimirus iterum in papae gratiam redierat, Opporowski secundo confirmationis bullam a papa acceperat et usque ad hoc tempus a papa adjutus esse videtur. Quis igitur est, qui, utrius ex parte jus steterit, dijudicet?

Sequi utique necesse erat, ut, nisi rex aliter atque per legatos atque litteris rem gereret, Tungenius per otium episcopatum tenere posset. Nam etiam de commercio intercludendo inter sese convenire non poterant, quum ordo repugnaret.

Itaque quum etiam hujus anni conventiones multum quidem deliberando, agendo nihil valuissent, legati, a Casimiro anno praeterito in Germaniam missi, praeterquam quod a. d. tert. Id. Mart. hujus anni cum Germanorum imperatore foedus fece- d. 13 Martii.

¹⁾ Schützius effusius p. 357 sqq.

1474. rant, ab eodem imperatore, ut Wladislaum agnosceret regem Bohemiae, consecuti sunt.¹⁾

De
Casimiro
cum Prussis
agente.
d. 29 Maji.

Quare quum Casimirus ad ipsius arbitrium agere posset, de rebus Prussicis in Prussia ipsa agendis cogitavit.²⁾ Ita circum festum Pentecostes agi coeptum est ac primum quidem Thorunii, deinde Nessaviae.

Nicolaus ad hunc regis adventum, quamvis invitatus, secundum propositum suum non apparuerat. Quum praeterea rex identidem firmum suum consilium ostendisset, pellendi eum ex episcopatu, illum advenire utique supervacaneum erat. Fortasse, quod non apparuit, adeptus est, ut ipsius causa aut omnino non aut sine discrimine disceptaretur. Praeterea minime, de quo disputarent, deerat. Ordines Prussici acerbè, quod Polonicos permulte criminabantur, conquesti, ut privilegia sua a rege rata fierent, petiverunt, id quod quidem adepti non sunt, sed paratissimis animis regis comites affirmaverunt, si rex iterum validus in terram advenisset, privilegia omnia confirmatum iri.

De malis
contro-
versiar.
eventib.

Medio Junio — postriedie Id. Jun., pro die s. Viti — Casimirus jam diaetae Pietricoviensi habendae intererat.³⁾ Postquam, quae antea acta sunt, audivimus, non vehementer, quod de rebis ibi actis parum instructi sumus, lugebimus. Quem vero tristem finem sedula illa desidia et continuae hae contentiones regnorum orientalium, quin etiam totius Europae adduxerint, aliis omissis ea maxime res declarat, quod septem circiter millia Tartarorum, qui male tantum armati erant, Russiae ac Podoliae partem longam centum circa miliaria, latam triginta impune vastare et spoliare poterant.⁴⁾ Neque minus impune Turci in ipsius Italiae quasi visceribus sedes figere poterant.⁵⁾

Quae factio majore culpa implicata sit, videlicet pro certo affirmari non potest. Fortasse etiam nostra de episcopatu

¹⁾ Dogiel, cod. dipl. Pol. I. 164. Foederis instrum. dat. est a. d. III. Id. Mart. Palacky, Gesch. Böhmens V. 1. 103.

²⁾ Dlug. 514. Schützius 357, qui de loco actionis aliquantulum dissentiunt.

³⁾ Dlugossus l. c.

⁴⁾ l. c. 515.

⁵⁾ Leo, Gesch. Italiens III. 170 sqq., qui docet jam paucis annis ante: Italien lag ihrem Angrifff offen, Rom war das Ziel von Muhameds Kämpfen.

Warmiensi rebusque Prussicis contentio angustior est, quae 1471.
ejusmodi rerum causas mutare possit. At facta est majoris
momenti, ubi in ampliores circulos transgrediebatur, cui qui-
dem rei illud tempus maxime favebat. Nicolaum episcopum
facere cum Matthia rege Ungariae id tempore haud dubie non
jam merum opinionis commentum erat.¹⁾

Praeterea certi quidam nuntii, magistrum ordinis a regno
Polonico esse defecturum, dissipati erant. Nam imperator
Germanorum ad illum scripsit: Abhorreat a tumultu contra
Polonos suscepto, qui universo regno et omnibus Christianis
magno impedimento atque incommodo futurus esset.²⁾ Ea sus-
picio quibus in rebus fundata sit, cognoscere jam non possu-
mus. Id solum modo scimus, secundo Polonos tentasse,
ordinem commovere, ut Warmiam a commercio intercluderet;
quod tamen irritum fuit.³⁾ Denique magister se non esse eum
pronuntiavit, qui rebus spiritualibus se immisceret. Praeterea
a rege incitatus, ut usque ad festum Michaelis — a. d. III.
Kal. Oct. — sententiam suam aperiret, litteris tantum ad Vin- d. 29 Sept.
centium, ep. Culmensem, missis se excusavit.⁴⁾

Jam mense Novembri ej. anni Wladislaus et Casimirus cum
Matthia Wratislaviae pacem in duodeviginti menses compo- De pace
suerunt. Molestiae, quibus terrae tunc vexabantur: fame Ungarico-
pestilentia, dysenteria omnium animos ita moverant, ut indul- Polonica.
gerent. Nec non Nicol. Tungen, Ungarorum rege intercedente,
in pacem receptus est.⁵⁾

¹⁾ Momenti esset experiri, qua in conditione per totum hoc tempus
episcopus Warmiehsis versatus sit cum rege Matthia. Poloni scriptores
non obscure ostendunt, alterum cum altero fecisse. Ipsos autem de hac
re haud multum scivisse, declarat Dlugossi locus hic: p. 523. Nicolaus
Thungen in parte regis Ungariae ad foedera — extremo anno icta, de
quo modo disseretur — inclusus est, quo tradimentum suum et perfidia,
in proprium regem et naturalem, latius, quod haecenus latuit, emi-
cuit. Nec non mirandum est, quod toto hoc tempore papa tacuisse
videtur.

²⁾ Voigtius p. 80 litteras citat dat. a. d. XV. Kal. Oct. Ceterum hic
effusius disseritur de conditione magistri ordinis cum Polonorum rege.

³⁾ l. c. p. 79 de hac re duae epistolae citantur dat.: a. d. VIII. Kal. d. 23 Junii.
Jul. et a. d. X. Kal. Jul. 1474. d. 21 Junii.

⁴⁾ Voigtius p. 80. Litt. ep. Culm. dat. sunt d. 10 Oct. Quamvis igitur
Treter p. 52 Vincentium post discessum ex Warmia misere egisse faciat,
cognoscimus, eum apud Polon. regem etiam diutius magna gratia floruisse.

⁵⁾ Dlug. 522. Palacky V. 1. 119 sqq.

1474. Per complures igitur annos, variis litibus tumultibusque motis, tandem aliquando duodeviginti mensium quies erat expectanda! Haec vero rerum publicarum tranquillitas non natura rerum adducta erat, quapropter fructum ferre non potuit; erat potius ea, quae in subita rerum confusione existere magnasque tempestates praecedere solet.

De anno
1475.

At saltem integer annus 1475 sine majoribus praeteriit tumultibus. Matthias Corvinus in longe uberiore solo quaesitam gloriam cepit: Turcos superavit. Apud nos, eo tempore Roma scriptum est, ad sidera tollitur.¹⁾

Eodem anno papa bullam promulgavit, quae ei, qui indutias fregerit, gravissimas censurarum poenas minatur, quare illae ineunte anno 1476 productae sunt.²⁾

Nicolaus episcopus id temporis non aliter atque antea cum Matthia rege versabatur. Jam ante Martium mensem anni 1475 palam pronuntiaverat, se ad auxilium regis Ungariae confugisse,³⁾ quod vinculum papa ipse per legatos suos arctius strinxit.⁴⁾

1476.

At Polonorum rex episcopo sibi penitus invisio episcopatum concedere in animum inducere non potuit; itaque jam per indutias anno ineunte 1476 in Prussiam se contulit. Quia autem ipsius sola praesentia ad hoc vana fuerat, non tantum amplissimo comitatu praelatorum, quorum in numero etiam Opporowski erat, se circumdedit, sed etiam caterva duorum millium mercenariorum.

d. 25 Apr.
De rege
cum
Prussis
denuo
agente.

A. d. VII. Kal. Maj. rex urbem Marienburg intravit. Cruciferorum magister, quamvis ipse apparuisset, tamen Polonorum regi nequaquam promptum ac propensum se praebuit. Etiamsi

¹⁾ Droysen, Gesch. der preuss. Politik I. c. 441.

²⁾ Voigt 87.

³⁾ Voigt p. 83 de ea re litteras magistri citat.

⁴⁾ De ea re confer. sunt litterae legati papae ad episcop. missae. Budae die XVI. Spt. 1476 in A. E.: D. 1. 49. Papa igitur non jam silet. Ex quo tempore? Equidem puto ex mense fere Aug. anni 1474, quo tempore Tungenii procurator Romam reliquit; — de hac igitur re cum Eichhorn p. 164 n. 1 consentio, sed annus 1474 ibid. mutandus est in annum 1477, cf. locum Dlugossi ibi citatum. Cum ea re bene convenit, ut Matthiae mense Junio bellum indictum est a Polon. Dlug. 514.

non ipse omne contra Tungen subsidium recusaret, id tamen fecerunt commendatores ordinis in urbe Heiligenbeil, quo Casimirus legatos suos miserat.¹⁾

Quodsi Polonorum rex, ordinem se esse adiuturum sperare non potuit, certe non dubium erat, quin, si episcopo bellum inferret, ei et Ungarorum rex bellum indiceret. Nam ille ei, ut subjectum ac commendatum suum Nicolaum Tungen quietum esse sineret, scripserat.²⁾

Casimiro igitur in re Warmiensi amplius procedere non contigit. Praeterea autem res altera ei dissolvenda erat, ut terrae Prussicae sibi subjectae privilegia constitueret, quorum de circuitu persaepe jam controversiae ortae erant. Illius rei rex profecto initium fecit. Quum terras Prussicas Polonorum regno anno 1454 conjungeret, constituerat, ut Prussorum jura in posterum integra manerent: „ea licentia attributa, ut liceret cuicumque de uno jure in aliud sine tamen aliorum praejudicio, quo voluerit, transmigrare.“ Eo fortasse consilio, ut ordines Prussicos arctiori vinculo sibi adstringeret, „pulsatus precibus eorum“ universali Prussorum terrae jus tribuit Culmense.³⁾

Neque tamen ea re, ut magnum belli terrorem ordinibus eriperet, obtigit. Nec melius, quod ad rem adversarii Tungen attinet, ei evenit, quamvis res illius iterum Elbingi proferret.⁴⁾

Magister ipse non aderat, et legati ordinis regi, ut papam, qui Tungenio obedientiam imperaret, adiret suaserunt.⁵⁾

Etiam semel urbes imprimis Gedanum aperte regi se opposuerunt, cujus consules „formaliter et aperte“, quominus Tungen, id quod denuo rogatum erat, ex episcopatu ejiceretur, impediverunt. Neque magis paratae erant regem pecunia adjuvare, quod ceterae urbes omnesque militares jam promiserant.⁶⁾

Quibus rebus actiones Polonico-Prussicae, quatenus eas sequi possumus, finitae sunt. In quibus si ordo, quo in Polonos

¹⁾ Schütz 359. Długoss 541 qui dissentit, sed minus verisimile affert.

²⁾ Dług. l. c.

³⁾ Dogiel p. 180. Instrumentum datum est feria 6 post fest. s. Jac. ap. anno 1476 — die 3 Martii — aut 26 Julii?? Datum est Marienburgi.

⁴⁾ Schütz fol. 360. die Veneris post oct. corpor. Christi — die 21 Juni. —

⁵⁾ Voigt effusius p. 89 sqq.

⁶⁾ Dług. 543.

1476. esset animo, non obscure prae se tulerat, rex ipse ita se gessit, ut omnem suam iram ostenderet.¹⁾ Quare etiam ordo amplius processit. Cum Musigk de Swynau, mercenariorum capitaneo, familiarius agere coepit.²⁾ Anno nondum praetermisso, magister ordinis ex episcopi partibus aperte stetit, quocum foedus ad mutuam fidem praestandam inierat. In quo si inter alia dicitur, ut, qui necessitate et vi ex his terris expulsi essent, in pristinas sedes restituerentur, non jam, contra quem potissimum foedus illud ictum erat, in dubio relinquatur.³⁾

Huic autem uni non satis virium erat, ut prospere contra foedus agere posset, quamquam socium habebat praevaletentem regni Germanici imperatorem. Utriusque vires id temporis debilitatae sunt opera Matthiae Corvini, Ungariae regis, cui nihilominus tempus relinquebatur, nuptias cum filia regis Neapolitani celebrare.⁴⁾

Eo igitur anno nuptiarum hilaritate finito annus insequens a belli apparatus tumultibusque initium cepit.

d. 13 Febr.
1477.
De foedere
inter
Ungar.
et Warm.
ordinem-
que facto.

Jam Id. Febr. custos ecel. Warm. Thomas Werner una cum episcopo Gabriele, qui legatus papae erat, et Georgio de Stein foedus initum subscripserunt,⁵⁾ quod Matth. a. d. III. Id. Mart. confirmavit.⁶⁾

Nec non ordinis legati Idib. Febr. ex sua parte pactum Ungaricum subscripserunt,⁷⁾ cujus tamen rei nuntium magister jam non accepit; antequam legati reverterunt, vita decesserat.⁸⁾

Matthias Corvinus paulo post hostiliter agere coepit contra hos validos hostes: Germanorum imperatorem, reges Bohemiae et Poloniae.⁹⁾

¹⁾ Voigt p. 91.

²⁾ ib. 92.

³⁾ Voigt noscit foederis instrumentum, dat. die 30 Nov. p. 93 n. 3.

⁴⁾ Dlug. 549.

⁵⁾ Foederis exempl. in A. C.: C. 43, cf. Voigt 98.

⁶⁾ Exempl. ib.: A. 11. cf. Inventarium privileg. etc. in arch. Cracov. p. 94. Matth. Nicol. cum suo capitulo in suam suscipit protectionem reservata dumtaxat superioritate s. pontificis cui immediate subest. Cur quaeso papa hoc jus non in pace Thorun. sibi vindicavit? Difficile est ad hoc respondere.

⁷⁾ Voigt 99.

⁸⁾ ib. 94.

⁹⁾ Dlug. 554 sqq. Engel l. c. 350. Palacky 148.

In Prussia quoque tumultus movebantur. Ut singuli „tam fideles quam perfidi“ in fide continerentur, ad praesidium Marienburgense augendum sexcentos equites et quadringentos pedites Casimirus misit. Hujus tumultus auctor fuisse dicitur idem rex Ungariae, qui ducem quoque Masoviae sibi advertere studuisse fertur.¹⁾

1477.

§ 6.

1477 — 1479.

Summum igitur tempus erat actionum in Prussia recipiendarum. Extremo Junio ordines Prussici Marienburgi conveniunt et nunquam se a Polonorum rege defecturos esse juramento sponponderunt,²⁾ quare privilegia eorum rata facta sunt, id quod per decem annos vehementer desideraverant et petierant.³⁾ Jam antea, ut etiam Gedanenses sibi reconciliaret, rex illis privilegium de non faciendis appellationibus dederat.⁴⁾

De Polonis Prussos in partes suas trahere studentibus.

Ceterum Warmia ordinisque terra eo anno a belli molestiis immunes manserunt,⁵⁾ id quod vehementer adjuvabant victrices regis Ungarici expeditiones contra imperatorem Germanorum, quibus pax mense Decembri ejusdem anni sub conditionibus Matthiae aequis composita, in breve tempus finem imposuit.⁶⁾

Anno 1479 ineunte cum Prussis denuo conventus agi coepti sunt in urbe Brzesz. Actum est ut antea: acriter, irrite. Nam quum ordines Pruss. regem in bello Warm. auxiliis adjuvare minime in animo haberent, et rex praevalentem (!) suum hostem Nicolaum in praesenti aliter atque dicendo aggredi non valeret, infectis rebus discessum est.⁷⁾

1478.

¹⁾ Dlug. 556.

²⁾ Dlug. l. c. ex partibus Polonorum scribit: „memores gravissimarum injuriarum, quae sub magistro et ordine pertulerant et respiciendo ad beatitudinem felicitatemque, qua sub rege ac regno Pol. pollebant.“ Haud nimis multam nos quidem usque ad hoc felicitatem vidimus.

³⁾ Confirmationis instrumentum ap. Dog. 181 dat. Korczyn feria 6 post fest. s. Barnabae — die 5 Dec. —

⁴⁾ Ib. datum est Cracoviae sabatho ante festum nativ. virg. Mariae — die 6 Spt. —

⁵⁾ Voigt p. 103.

⁶⁾ Mailáth, Gesch. der Magyar. II. 249. Kurz, Gesch. Oestr. unter K. Friedr. IV., IV. 2. p. 137. Pax Kal. Dec. icta, postr. Kal. Jan. ann. sq. fracta est.

⁷⁾ Dlug. 564. Schütz 363.

1478.
De bello
exorto
moxque
sedato.

Initio Junii Matthias, quia pactum in urbe Brünn initum mox laeserat,¹⁾ novum cum Wladislao foedus composuit, quod brevi pax excepit, qua continuum bellum Bohemico-Un-garicum finitum est. Quoniam autem eodem tempore Turci bellum Matthiae minitarentur,²⁾ sociis suis auxilio venire non potuit, quum medio Septembri prima Polonorum agmina in Prussia apparerent.³⁾

Sed jam pridie Kal. Dec. in urbe Wissegradt foedere inter regem Poloniae et Matth. icto⁴⁾ constitutum est: arces et loca in episcopatu Warm. armis quaesita Poloniae rex intra inducias cum suis pertinentiis teneret; coacta ad homagium in libertatem solveret. Gentibus suis episcopatum Warmiensem, relictis tamen, quae pro tuitione castrorum ab eo quaesitorum sufficiant, exarmet.

Interea Elbingi mense Oct. conventio habita est, quae eadem irrita fuit. Polonorum legati rem ordinis et episcopi sejungere studuerant.⁵⁾

d. 25. Dec.

Paulo post festum nativitatis domini Elbingi novus conventus habitus est.⁶⁾ Quum vero interea Casimirus et Matthias Olomucii agere constituissent, quid impedivit, quominus res proferrentur? Ne tamen frustra convenissent, vetera crimina et postulata denuo prolata sunt. Attamen perspicuum est, Warmiae incolas jam concedere paratos fuisse. Nam inter multa, quae sibi postulant, non jam sermo fit de retinendo Tungenio in episcopatu. Porro notandum est, quatuor potissimum urbes et omnes militares a Tungenio deficere, quam diutius belli mala tolerare maluisse. Discordia igitur jam orta erat.⁷⁾

¹⁾ Palacky 175, 194.

²⁾ Engel 358. Mailäth 249.

³⁾ Voigt 107.

⁴⁾ Dlug. 574. Accuratius Voigt 113, qui foederis instrumentum legit. Non accurate de hac re disserit Engel 358.

⁵⁾ Dlug. p. 574 dicit: magister et ordo Pruss. non impetebatur bello, Warm. tamen episcopatus et bellis quatiebatur et armis. Idem sequitur ex recessibus apud Schütz p. 364: aber die von des ordens seiten nicht ir wort, sondern sie — die bishümer — selbst füren sollten.

⁶⁾ Schütz 366.

⁷⁾ ib.: und liessen da folgende artikel aufsetzen, dass sie möchten gehalten werden der landschaft und den städten Braunsberg, Ressel, Guttstadt und Wartenberg, denn sie hofften nicht, dass sie wider König-

Anno ineunte 1479 episcopo jam nihil relinquebatur nisi castrum Heilsberg, quod et ipsum a Polonis oppugnabatur.¹⁾ Nicolaus episcopus, ut obsidionem effugeret, ad Cruciferorum magistrum Regiomontum se contulit.²⁾

1479.
De
magistro et
ep. Warm.
grat. Polon.
petentib.

Interea Matthias eorum nomine cum Polonis egit. Ad quem quum legati Polonici Budam initio hujus anni venissent, de magistro et ordine statutum est, ut indicto Siradiae conventu per oratores Poloniae et Ungariae regum magister Prussiae et Nicolaus Tungen se sistant cum salvo conductu; bellum interea cesset. Secundum pacta Thorunensia pax inter magistrum et regem Poloniae fiat. Rex Ungariae instare debet, ut Nicolaus episcopatu Warmiensi cedat ac Pomesaniensi sit contentus, rex eum in gratiam recipiat. Haec statuta sunt Budae feria 6 a. d. Palmar. 1479. — die 3 Aprilis.³⁾

d. 3 Apr.

Magister igitur et episcopus Siradium se contulerunt, quum autem Ungariae rex nec ipse adesset, nec legatos suos misisset, infecta re discessum est. Itaque ambo ad regem Pietricoviae versantem se contulerunt, ubi per sex hebdomades disceptatum est, quum magister, ut ordo et in priscam libertatem statumque et in pacificam possessionem omnium terrarum regno Poloniae unitarum postulasse dicatur.⁴⁾ Nicolaus autem episcopus gratiam veniamque regis Poloniae petiit et adeptus est. Quare cum illo in has fere condiciones compositum est:⁵⁾ Episcopi Warmienses tenerentur intra tres menses a die receptionis litterarum apostolicarum ad regem Polonicum, si forte in terris

liche Majestät gebrochen hetten. Hae urbes et vasalli praecipue postulerunt, ut is status, in quo ante bellum versati essent, restitueretur, et si Tungen episcopatu se abdicasset, novus episcopus eligeretur. Tota autem res a legatis Pol. in conventum Olomucensem dilata est. Schütz fol. 366 sqq.

1) Dlug. 577.

2) ib. 578. Schütz 367.

3) Secund. Inventarium etc. p. 94. Dl. aliter de ea re disserit. At ille extremae huic operis sui parti ultimam manum non admovisse videtur, quare eadem res et p. 577 et p. 581 narratur. Schütz. autem, qui consentit cum Dlug., hanc opusculi sui partem ex recessibus elaborasse mihi non videtur.

4) Secundum Dlug., qui autem rem verbis augere videtur.

5) Dogiel p. 182 Instrum. dat. est in conventionem Pietricoviensi die 15 Julii.



1479. Prussiae versaretur, venire, alioquin in castrum Marienburg, in manibus episcopi cujusdam a rege designati juramentum facturi. Simile juramentum facere intra certa temporis spatia et vasalli subditique eccl. Warm. et canonici facere tenerentur.

Praeterea statutum est, ut, si magister nullo modo juraret et ad arma contra ordinem res veniret, vel contra alios quoscumque hostes episcopi Warm. tenerentur regibus Polonicis auxilio et consilio esse, ita ut civitates ecclesiae gentibus regiis pateant. Praeterea episcopus se foedera sine consensu regis Poloniae non esse icturum promisit et se obligavit, ut liceret subditis in omnibus causis ad regem Polonicum provocare. Praeterea capitulum Warmiense obligatus esset, in futuris electionibus sine postulationibus episcoporum regibus Polonicis personam gratam eligere.¹⁾

Eodem tempore Matthias et Wladislaus Olomucii agebant, sed jam antea constitutum erat, ne hic res Prussiae disputarentur.²⁾ Nihilominus magister ordinis jurare recusavit.³⁾ Quum autem interea agmina Polonica ordinis terram vastare inciperent et regis Ungarici legati declararent, regem suum ordini auxilium ferre non posse, magister in manibus episcopi Cracoviensis juravit. a. d. VII. Id. Oct. — Damna autem tempore belli utrimque facta per regios arbitros dijudicarentur.⁴⁾

Ita ad finem eorum, qui per duodecim annos integros Prussorum terram sollicitarunt tumultum pervenimus.⁵⁾ Quod-

¹⁾ De hac re Eichhorn jam effusius disseruit p. 165—168.

²⁾ Palaucky 200.

³⁾ Voigt effusius p. 118 sqq.

⁴⁾ Dlug. 585 sqq.

⁵⁾ Quae Warmienses hac pace aut perdiderint aut servaverint, intelligi non potest, nisi statu, in quo cum ordine ante pacem Thorunensem versati sint, perspecto. Quae de illa re a me prolata sunt, tantum abest, ut ea totam illam rem exponant atque explicant, ut vix initium eplicationis haberi possint. Breviter etiam memorabo, differentiam esse inter subjectionem magistri et episcopi, quae quum ex aliis cognoscitur rebus, tum ex formis juramentorum collatis, Dog. p. 168 et 184. Episcopus jurat Casimiro „tamquam domino et protectori ecclesiae Varm.,” Magister „domino Casimiro regi et regno Poloniae.“ Quodsi episcopus hac pace vetitur, foedera icere, quis concludere audet, eum jus illud jam sub ordinis imperio tenuisse? Jam supra memoratum est, episcopum propterea fortasse in instrumento pacis Thorunensis in ordine ducum principumque positum fuisse, quod ex brevi tempore foedera re vera icerat, ita ut

si actiones plenae illae quidem orationum, factorum egenae imaginem haud jucundam praebent, eo minori laetitia afficimur, si, quo in statu regna vicina versata sunt, contemplamur. Eam historiae particulam pertractavimus, ubi foedera icere, icta frangere non jam insoliti quidquam est. Posteris autem nos res illas haud nimis iniquis animis contemplari, aperte declaravit Dlugossus, qui ipse aetatem illam vidit, his verbis: Leges divinas et scita contemnendo irridemus et flocci facimus; nec satis scripturarum comminationibus credimus, nec divina imperia aperto pectore haurimus.

Warmia plenae libertatis specie usa esset. Ex eo tempore episcopus nova foedera icerat et ejus rei jus quoddam nactus esse videbatur. Homines illius aetatis pondera jurum haud diligentur examinabant, nihil igitur est, quod sententiam illam rejiciamus; sed rem accuratius exponere tempus facultasque desunt.

Theses.

- 1) Auctorem vitae Meinweri Thietmari chronico usum esse nego.
 - 2) Sententia Lachmanni, Homeri Iliadem et carmen nostrum: „Nibelungen“ ex compluribus partibus constare, argumentis probari non potest.
 - 3) Tretero, scriptori Warmiensi, non majorem auctoritatem fidemque esse attribuendam contendo quam Grunovio
 - 4) Sortem pro creandis archontibus Clisthenis tempore nondum institutam esse affirmo.
-

Vita.

Julius Andr. Brock natus sum Frauenburgi, quod est caput Warmiae, postr. Id. Apr. a. h. s. 47 patre Andrea, matre Rosa, e gente Preuschoff, qua adhuc viva gaudeo, dum pater mihi jam puerulo ereptus est. Fidem profiteor catholicam. Litterarum primordiis in patria institutus inde ac anno aetatis duodecimo usque ad vicesimum gymnasium Brunsbergense frequentavi Braundir. ill. adhuc florens. Testimonium maturitatis nactus a. h. s. 67 universitatem hujus urbis adii et a Roepell ill. rectore magnifico in cives academicos ascitus sum, ut studia inirem theologia. Altero vero semestri nomen apud ordinem philosophorum professus sum, ut in studia incumberem hist. Germ. philol., et per 7 semestres audivi scholas vv. dd. Braniss, Elvenich, Grünhagen, Hertz, Junkmann, Neumann, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Rueckert, Weber, Zupitza. Ex altero semestri benignitate Junkmann et Roepell vv. dd. summa cum utilitate mea particeps factus sum sem. regii hist. primi, ex aestate anni praeteriti alterius quoque; nec non exercitationibus Germ., Rückert v. ill. eximia usus disciplina, per plures semestres interfui. Quum omnibus studiorum meorum adjutoribus benevolentissimis, tum illis viris ill. debitam semper me habiturum esse gratiam polliceor.

